AUTHOR:

RODENBUSCH, EDUARD

TITLE:

DE TEMPORUM USU PLAUTINO...

PLACE:

ARGENTORATI

DATE:

1888

Master Negative #

92-80664-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rodenbusch, Eduard

De temporum usu Plautino quaestiones selectae, dissertatio...quam...scripsit Eduardus Rodenbusch ... Argentorati, Heitz, 1888.

76 p. 20 cm.

Thesis. Strasburg.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x


IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8-7-92 INITIALS MT

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT










Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches







no. 1

DE TEMPORUM USU PLAUTINO QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS RITE
IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS RODENBUSCH

RHENANUS.

ARGENTORATI

J. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MÜNDEL SOCII).

MDCCCLXXXVIII.

PARENTIBUS CARISSIMIS

PIETATIS ERGO.

Lachmannus et Ritschelius primi quanti momenti vetustior lingua latina esset ad grammaticam quam vocant historicam constituendam recte cognoverunt. Quorum vestigia multi et docti viri prementes cum maxime animos ad flexionem vocabulorum perspiciendam et explicandam applicarent, minus initio quidem hac in re operam collocaverunt, ut quales leges syntacticae a scriptoribus vetustioris aetatis observatae essent investigarent. Hoc ne fieret illa maxime impedimento erat sane praeiudicata opinio nullas fere certas leges apud illos inveniri; atque maxime quidem apud Plautum verbi formarum usum satis esse ambiguum; nullam saepe aliam legem cognosci posse, quam ut Plautus metro coactus modo hanc modo illam verbi formam usurparit. Sed verum si dicere volumus, sane licentiae et varietatis ad sermonem conformandum Plauto plus suppetebat quam iis scriptoribus qui oratione illa accuratiore quae ad libros solummodo pertinet utuntur. Plautus enim imitatus est in comoediis sermonem cotidianum, qui a legibus saepe angustis in illo genere dicendi per tempora receptis multifariam exemptus est. Sed causas semper varietatis quasdam subesse cogitandum est, sine quibus illa quae dicatur licentia esse non possit. Atque vide quid inde emolumenti percipi possit ad orationem luculenter exornandam: quo enim maior

viget varietas structurae, eo melius vel levissima rerum narrandarum exponendarumque discrimina illustrantur. Minuenda igitur illa est opinio non satis digna Plauto, cuius admirabilis in oratione formanda eluceat ars, nisi quod illud est largiendum quod Plautus illas licentias, quae certis nituntur rationibus, ad metrum recte conformandum saepe transtulit. Ac ne certa quidem consuetudo abest; nam sermonis communis non minus quam illa varietas hoc proprium est ut ad certas res significandas saepe certa genera dicendi adhibeantur tam constanter, ut alia genera dicendi, quamvis per se sint non minus probanda, paene evitentur.

Quae cum ita sint, ut primum intentum studium ad syntaxim priscorum scriptorum latinorum investigandam conferri coeptum est, viros doctos leges certas quae adhuc minus fuerant in promptu invenisse consentaneum est. Atque de Holtzii libro[1] vix quidquam hoc loco proferendum est: iam alii eius acerrimi iudices exstiterunt, quibus me adstipulari profiteor. Nam quod mihi quidem hac in re maximi momenti videtur, hoc potissimum neglexit: quippe qui cum exempla congereret copiosissime, tamen quaenam causae essent dicendi generis uniuscuiusque vix quaereret. Contra laudandus est hoc loco maxime Madvigius,[2] deinde Luebbertus qui praeter illum de quo disseruit Madvigius locum sibi sumpsit alium adhuc valde dubium.[3] Sunt etiam multi alii qui ad hanc rem

[1] Syntaxis priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium. Lipsiae 1861.

[2] De formarum quarundarum verbi natura et usu disputatio in opusc. acad. alt. Hauniae 1852.

[3] Beiträge zur Tempus- und Moduslehre des ältern Lateins. Breslau 1870.

studium operamque contulerint; quos enumerare cum longum sit, suo quisque loco, si quid quod ad propositum nostrum spectet attulerit, nominandus erit. Attamen de uno libro paullo fusius exponere necesse est. Langenus enim in eo libro qui inscribitur ‚Plautinische Studien' (Berolini 1887), id studuit ut qui versus essent genuini quique postero tempore cum retractarentur fabulae Plautinae additi essent, ex totarum fabularum compositione anquireret. Sane difficile opus atque vix ad finem perducendum aggressus est, cum talis iudicandi ratio, quamvis per se sit vera, facile ultra fines legitimos prodeat. Itaque cum de hac re certi quidquam proferri nondum posset, a me impetrare non potui ut eos versus, quos Langenus in suspicionem vocavit, exemplorum numero secluderem: nisi quod in nonnullis versibus cum minus vulgarem temporum usum haberent, Langii sententiae rationem habui.

Neque mirandum quod Plautinis aliorum auctorum exempla subtexta sunt. Nam hac maxime aetate hoc est cognitum ita demum syntaxim quae vere dicatur historicam nasci posse, ut auctorum genera dicendi inter se comparentur. Attamen cum comicorum solummodo maximeque Terentii, deinde Ciceronis ut epistularum auctoris locos citavi, in eorum numero me continui qui, ut ipse Plautus, usi sunt sermone cotidiano. Etiam aliud hoc loco praemonendum videtur; saepius enim usus sum ea locutione, aliquam verbi formam pro alia substitui: quod semper ex usu vulgari est dictum, minime vero ita, ut Plautus per se vitiose et falso aliquo tempore sit usus; ullum enim genus dicendi Plautinum carere ratione omnino est negandum.

CAPUT I.

De Imperfecto.

Inter omnes constat imperfectum adhiberi ad statum praeterito tempore durantem significandum; sin autem simpliciter res praeteritae narrantur, tum apud scriptores latinos in usu esse perfectum historicum. Qua e lege apud Plautum interdum verba ea quae actionem dicendi vel similem exprimunt, exempta videntur; occurrit enim imperfectum ubi nostra quidem sententia statuatur narratio simplex. En habes exempla: Men. 740: *Haut mihi negabas dudum surrupuisse te: nunc eandem ante oculos attines?* Pseud. 1313: *At negabas daturum esse te mihi?* Merc. 631: *Promittebas te os sublinere meo patri; ego me credidi homini docto rem mandare.* Rud. 540: *Tibi auscultavi: tu promittebas mihi illi esse quaestum maxumum meretricibus.* Ibid. 543: *Jam postulabas te, impurata belua, totam Siciliam devoraturum insulam.* Neque opus mihi videtur colligere omnia vocis ‚aibat' exempla cum sint sexcenta; pauca haec proponamus iudicio lectorum, quae exstant Amph. 807; As. 208, Truc. 757, As. 442, Capt. 561, Most. 1002. Sed imperfectum ‚aibat' praeter eam quam infra afferam causam tam saepe ea de causa exhiberi credendum est, quod ‚ait' utrum sit praesens an perfectum discerni non potest, aliae autem perfecti personae prorsus deficiunt. Sed si causam quaerimus communem huius imperfecti usus, in his quidem exemplis de repetitione cogitandum non est; at certe ita res se habet, ut cum minus rationis habeatur actionis ipsius quam status durantis qui ex actione ipsa consequatur, iure adhibeatur imperfectum. Quare si vim

plenam assequi volumus imperfecti, vertendum nobis est: ‚du versprachst mir und so warst du durch dein Versprechen gebunden' (promittebas); ‚das war deine Forderung' (postulabas); ‚das war deine Behauptung' (negabas). Neque tamen hoc genus dicendi ut Plauti solummodo proprium pertractavi; sunt enim alii scriptores, apud quos fines huius usus sint latiores. In quibus mihi occurrit maxime is qui omnino longe distat a Plauto et indole et arte dicendi Terentius. Verborum dicendi in imperfecto positorum affero exempla haec Terentiana: Andr. 490: *Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperae, sed postquam egressast, illis quae sunt intus clamat de via.* Eunuch. 111: *Matris nomen et patris dicebat ipsa .... Mercator hoc addebat.* Ibid. 701: *Parmeno dicebat eum esse.* Hec 538: *Nam negabas nuptam posse filiam tuam te pati cum eo qui meretricem amaret.* Ad. 332: *Qui sine hac iurabat se unum nunquam victurum diem? Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris ...* Eunuch. 372: *Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo.* Ibid 376: *Ch: Dixisti pulchre .... Pa: Jocabar equidem.* Vel ex his quae attuli exemplis iudicari potest non in omnibus imperfectum sic intellegi posse, ut statum durantem vel condicionem, quae ex actione ipsa prodeat, significet. Iam ut ad classicae aetatis scriptores transeamus, Cicero praeter verba dicendi (cf. orat. pro Quinct. 77; div. in. Caec. 55; Phil. II, 89; or. in Verr. III, 55) etiam aliorum imperfectum hunc in modum adhibuit.[1] Addere liceat etiam apud scriptores graecos hanc imperfecti speciem obviam fieri (cf. Hom. A 437; B 107; H 305; Thucyd. VI, 32, 3: ἔλεγε

---

[1] Qua de re conferas E. Hoffmann, die Construction der lateinischen Zeitpartikeln. (Vindobonae 1873 ed.) alt. p. 186.

καὶ παρήνει τοιάδε). Qua de causa nonnulli adducti sunt ut imperfectum primitus tempus narrationis omnino fuisse statuerent.[1] Sed quoquo modo res se habet, illud cognoscitur Plautum usum illum per se latius patentem minus adamasse quam alios scriptores. Neque erit falsum hac ex ratione proprietatem sermonis Plautini statuere; nam imperfectis hoc quidem modo usurpatis efficitur, ut quasi tardius atque cunctantius narratio procedere videatur (cf. Ter. Andr. 89—92; Eun. 111—113; Phorm. 595): id quod minime convenit in Plautinum dicendi genus. Properatio enim quaedam inest in dialogis Plautinis quae qualis sit infra nobis accuratius identidemque licebit cognoscere. Comparandi causa affero praesentis usum qui quanquam ad eandem rationem spectat, tamen cum sit excitatioris generis dicendi apud Plautum est creberrimus. Saepissime enim in diverbio, si quis quid dixit vel fecit, ipse vel alius de hac ipsa re, quanquam est praeterita, praesens usurpat. Ex permagno numero exemplorum sufficiet pauca afferre. Trin. 80: *M: Qua propter? C: Rogas?* Ibid. 192: *C: Fit sedulo. M: Sed quid ais?* Ibid. 989: *S: Enim vero sero quoniam huc advenis, Vapulabis meo arbitratud et novorum aedilium. Ch: At etiam maledicis?* Ibid. 1062: *St: Da magnum malum. Ch: Bene mones.* Amph. 536: *J: Tibi condono. A: Facis ut alias res soles.* Ibid. 561: *Scelestissume audes mihi praedicare id domi te esse nunc, qui hic ades. S: Vera dico.* Quod genus cum ex parte quidem simile sit praesenti historico, tamen certum discrimen intercedit. Vix enim praesens historicum hic illic invenitur, sed semper per partem nar-

[1] Cf. J. Müller, Handb. d. class. Altertumsw. vol. II, p. 100, 160.

rationis continuatum.[1] Deinde hoc ipso in genere, quod nunc pertractamus, praesens pro praeterito ea de causa ponitur quod non tam unum illud temporis momentum respicitur quo actio est facta, quam condicio in qua aliquis cum quid fecit versetur. Quae cum vel in praesentia durare possit, recte usurpatur praesens. Similem in modum adhibitum occurrit in Ciceronis epistulis illud ‚quod scribis'. Cf. etiam vocabula graeca ἀκούω pro ἀκήκοα, τίκτω pro ἔτεκον. At tamen hac in re inter se consentiunt hoc genus et praesens historicum, quod sermo fit alacrior excitatiorque. Atque praesens quidem hac ratione, quanquam non est praesens historicum, de rebus praeteritis usurpari potest.

Contra imperfectum apud Plautum aliosque comicos eam interdum potestatem habet, ut usurpetur de rebus tempore et praeterito et praesenti durantibus. As. 392: *L: Quid quaeritas? M: Demaenetum volebam.* Ibid. 486: *Ei nunciam ad erum quo vocas, iamdudum quo volebas.* Ibid. 452: *Sed si domist, Demaenetum volebam.* Bacch. 188: *P: Nempe recte valet? Chr: Istuc volebam ego ex te percontarier.* Cas. 489: *Ad te hercle ibam commodum.* Ibid. 81: *Nunc ego ibam ad te.* Cist. II, III, 79: *I quo properabas.* Stich. 327: *P: Ean gratia foris effringis? G: Tuos inclama, tui delinquont: ego quid me velles visebam.* Trin. 195: *Istuc volebam scire.* Aul. 549: *M: Quid tu te solus e senatu sevocas? E: Pol ego ut te accusem merito meditabar.* Truc. 921: *At ego ad te ibam, mea delicia.* Cf. Ter. Andr. 256: *Video quos volebam.* Ibid. 581: *Ad te ibam.* Atque illi quidem loci ita sunt comparati, ut is qui loquitur de se ipse aliquid dicat: ubi nihil sane impedit, quominus quis dicat se iam praeterito

[1] Exceptio legitima est statuenda ea, quam p. 21 attulimus.

tempore aliquid in animo habuisse. Contra alius si quaerit ex alio, num quid is in animo habeat, cum videt aliquid eum facturum esse, minus facile fit, ut quaerat ita num is illud iam praeterito tempore in animo habuerit. At tamen etiam huiusmodi nonnulli inveniuntur loci Plautini: Cist. IV, II, 57: *Quid quaeritabas?* Merc. 885: *Quo nunc ibas?* Most. 9: *Hocine volebas?* Huius generis ut rationem accuratius perspiciamus, hoc est tenendum imperfecto per se nihil exprimi nisi rem esse praeterito tempore imperfectam; num etiam in praesentia duret, ex rerum condicione iudicandum est: quod in his quidem exemplis ita esse in propatulo est. At sunt exempla in quibus, cum eandem rationem esse cognoscatur, tamen admissum sit praesens: Men. 280: *Ubi sunt convivae ceteri? M: Quos tu convivas quaeris?* Ibid. 675: *Quis me hic quaerit?* Amph. 542: *Num quid vis?* Accedunt ea exempla, quae collegit eorumque naturam exposuit Draegerus.[1] Atque his quidem ex locis, ubi apparet praesens, continua intellegitur actio e praeterito tempore usque ad praesens durans quae non intermittatur; illis autem locis qui habent imperfectum, duae quasi partes actionis discernuntur, quarum altera spectat ad praeteritum tempus, altera ad praesens. Ut exemplo res illustretur, si As. 392 mercator dicit ‚Demaenetum volebam', haec ipsa volendi actio interrumpitur quasi interrogatione interiecta Libanii: ‚quid quaeritas!' Et ne perfectum quidem locis similibus respuitur, si is qui loquitur rem plane ad praeteritum tempus refert, velut Mil. glor. 1025: *Quid me voluisti?* En habes magnam dicendi varietatem ratione cogitandi paullo immutata effectam, qua removetur languor, augetur autem color

[1] Historische Syntax d. lat. Sprache. (Lipsiae 1878.) vol. I, § 121.

sermonis. Idem studium cognoscitur, ubi pro imperfecto de repetitione dicto admittitur perfectum. Sed haec sunt vulgaria[1]: unus tamen huc pertinens locus usus rarioris testis est. Exstat autem Capt. 256: *Etiam quom cavisse ratus est, saepe is cautor captus est.* Hoc enim loco cognoscitur usus dicendi aoristo gnomico, qui est Graecorum, prorsus similis. Falso igitur negavit Draegerus perfectum consuetudinis apud Plautum inveniri.

Clarissime vero haec variandi indoles ante oculos ponitur iis locis ubi perfecto unum plurave imperfecta succedant. Capt. 272: *Quanquam non multum fuit molesta servitus nec mihi secus erat quam si essem familiaris filius.* Ibid. 502: *Ita me miserum restitando retinendo lassum reddiderunt; vix ex gratulando... eminebam.* Ibid. 913: *Metui ne vel in me faceret impetum nimisque hercle ego illum male formidabam.* Pers 477: *Sed ut ego hodie fui benignus, ut ego multis credidi! Nec satis a quicquam homine accepi: ita prosum credebam omnibus.* Capt. 916: *Aulas calicesque omnis confregit, nisi quae modiales erant; cocum percontabatur possentne seriae fervescere.* Rud. 540: *Tibi auscultavi: tu promittebas mihi illi esse quaestum maximum meretricibus.* Trin. 925: *S: Satin inter labra atque dentes latuit vir minumi preti? Ch: Ne male loquere absenti amico. S: Quid ergo ille ignavissumus mi latitabat?* Truc. 332: *Di me perduint, si te revocavi: non tibi dicebam.* Aul. 376: *Atque eo fuerunt cariora, aes non erat.* Poen. 1391: *Jam pridem equidem istas esse scivi liberas et exspectabam, si qui eas assereret manu.* Aul. 706: *Prius me collocavi in arborem indeque exspectabam, ubi aurum abstrudebat senex.* Hos locos non ea

[1] Cf. Draeger, hist. Synt. vol. I, p. 253.

maxime de causa attuli ut novum imperfecti quoddam genus demonstrarem; nam per se haec imperfecta satis explicari possunt ita, ut ratio non habeatur perfecti praecedentis. Unum illud docere volui quantopere Plautus studuerit dicendi genus semper variare, quo praeberetur species quaedam alacritatis atque adeo celeritatis in loquendo. Commutato enim tempore tam repentino indicantur etiam celeres cogitandi vicissitudines: quibus poeta nisi studuisset, cur non eodem iure dicturus erat: ‚erat servitus molesta' (Cap. 1272) vel ‚metuebam' (ibid. 502) vel ‚latebat' (Trin. 925) vel ‚erant cariora' (Aul. 316) vel ‚sciebam' (Poen. 1391)?

Rationem enim si quaeris, non minus bene poneretur imperfectum his locis pro perfecto. Contra Terentius, qui sedatiore genere dicendi utitur, ab hac varietate alienus fuisse videtur; mihi quidem exempla, quae cum his recte comparari possint, nota non sunt. Immo, si perlustramus locos qui exstant Andr. 89—92, Eun. 111—113, Phorm. 595, apparet Terentium in eo genere dicendi a quo inceperit haerere.

Atque hac quidem ratione studium variandi valere videmus: quod interdum ea de causa repressum est, quod consuetudo sermonis cotidiani certa inclinabat ad unum genus dicendi (cf. p. 6). Qua de causa fit ut, si quis quod dixit corrigere vult, semper fere adhibeatur locutio illa ‚volui dicere'.[1] Hi sunt loci: Amph. 384: *Nam Amphitruonis socium dudum me esse volui dicere.* Cas. 262: *Non id volui dicere.* Mil. glor. 27: *Illut dicere volui, femur.* Ibid. 819: *Illut stertit, volui dicere.* Most. 830: *Illut quidem, ut conivent, volui dicere.* Pseud. 711: *Adduxi volui*

[1] Cf. Ritschelii op. II, 438.

dicere. Rud. 423: *Illut quidem ‚subaquilum' volui dicere.* Per se tamen imperfectum non minus esse legitimum demonstratur duobus locis. Cas. 562: *Illuc volebam: villicum.* Ibid. 590: *Illuc quidem volebam non.* His enim locis cum alibi solemne sit perfectum, imperfectum sic defendi potest, ut eandem rationem quam in exemplis p. 11 sq. pertractatis agnovimus, etiam hic statuamus.[1]

Adhuc nulla vis relativa in imperfecto apparuit: quae certe statuenda est in eo imperfecti usu quem nunc pertractandum nobis proposuimus. Nam omnes actiones aut ad certum tempus spectant ita ut aut praeterito aut praesenti aut futuro tempore fiant, aut temporali ratione ea utuntur, ut generatim et quasi sine certi temporis notione denotentur. Exempli gratia si dixeris ‚Hannibal Romanos apud Cannas devicit, actio certo tempore facta absolutaque est. At si ita dicitur: ‚Roma est urbs', nulla certi temporis notio apparet. Atque cum maxime praesens in eiusmodi enuntiatis adhiberi soleat, tamen fieri potest, ut alia quoque tempora asciscantur. Interdum enim tempus eius actionis, quae per se ad certum tempus non spectat, vi attractionis simile potest fieri tempori actionis quae dici potest primariae. Nonnunquam autem etsi actio primaria expressis quidem verbis non notatur, at certe temporis spatium quoddam est subintellegendum ad quod referatur tempus actionis per se ad certum tempus non spectantis. Quod cuius modi se habeat, accuratius cognoscere licet ex exemplis ipsis: Capt. 282: *H: Quid pater? vivitne? Ph: Vivum quom inde abimus liquimus: nunc vivatne necne, id*

[1] Sed cf. quae de v. 590 exposuit Fuhrmanus, Jahrb. f. Phil. Jahrg. 1869 p. 480.

Orcum scire oportet scilicet. Quo cum loco conferendus est vers. 285: *H: Quid erat ei nomen?* Atque quanquam dicit ‚erat', nomen ei non solum tum erat, cum eum filii reliquerunt, sed etiam nunc ei est. Sed ‚erat' refertur ad illud tempus quo patrem reliquerunt filii. Capt. 981: *St: Quadrimulum tibi tuos pater peculiarem parvolo puero dedit. Ph: Quid erat ei nomen?* Men. 1115: *Quot eras annos gnatus tum quom pater a patria te avehit?* Ad hoc autem tempus praeteritum spectant quae infra leguntur per se haec quidem non ad certum tempus spectantia vers. 1119: *Uter eratis, ‚tun' an ille maior?* Vers. 1120: *Gemini ambo eramus;* vers. 1122: *Mess: uno nomine ambo eratis;* vers. 1131: *Quid erat nomen nostrae matri?* Contra si Menaechmus I respondet vers. 1122: *Minume, nam mihi hoc erat quod nunc est Menaechmo,* imperfectum per se sit necessarium cum sic praeteritum tempus comparetur cum tempore praesenti. Cf. Ter. Andr. 85: *Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? Nam Andriae illi erat nomen.* Cuius usus causa sane ex dialogi Plautini natura alacerrima est petenda. Comparationis causa affero usum simillimum illum quidem, sed ex alia ratione certe profectum. Est enim maxime apud historicos is usus non ita rarus, ut, si narrationi inseritur descriptio locorum, ea verba quae pertinent ad descriptionem induant tempus narrationis. Cf. Caes. bell. Gall. II, 15, 3: *Eorum fines Nervii attingebant.* Hanc autem credo legem in his exemplis valere, ut dicendi genus sibi fiat constantius atque quietius.[1] Contra Plautinis illis locis hanc assimilationis causam statui posse credo, quod in alacriore dicendi genere enuntiatum aliquod facile ad similitudinem eius quod est proximum conformatur.

[1] Pertinet etiam huc: quaero quid hoc sit — quaesivi quid hoc esset.

Ex quo exemplo in universum iudicari potest quanti sit momenti de rationibus quaeri quae sunt subiectae unicuique generi dicendi; nam saepe, quae eadem videntur, ex varia ratione nascuntur. Atque in illis quae supra attuli exemplis Plautinis lex attractionis observatur, quanquam enuntiata grammatica ratione minus anguste sunt coniuncta; sed quam late vagetur usus Plautinus, duobus mihi maxime exemplis argui videtur. Men. 77: *Iuventus fecit nomen Peniculo mihi, ideo quia mensam, quando edo, detergeo* (relative esset dictum: quia quando edebam, detergebam). Most. 499: *Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit, quia praemature vita careo* (relative: carebam). Quibus in exemplis ne hac quidem de causa effecta est relatio, quod alterum enuntiatum alteri est subiunctum atque id quidem particula causali, ubi maxime, cum causa eventusque artissime inter se cohaereant, exspectaveris temporis relationem.

Venio nunc ad imperfecti in enuntiatis secundariis usum, in quibus non aliter, si quidem naturam indolemque respexeris, adhibetur quam in enuntiatis primariis. Atque primum quidem, cum nobis quaedam de enuntiatis temporalibus afferenda sint, iam alii de hac re copiosius disseruerunt. Ex quibus maxime nomino Luebbertum, cuius librum iam supra laudavi, deinde Langium,[1] denique Schubertum.[2] At tamen spicilegium faciendum esse puto; sunt enim quae

[1] De sententiarum temporalium apud priscos scriptores latinos syntaxi. Vratislaviae 1878.

[2] Zum Gebrauch der Temporalconjunctionen bei Plautus Lissae 1881.

corrigi sive addi possint. Atque ut a particula ‚quom' ordiamur, primum illa exempla pertractemus quae exstant Amph. 599: *Ut quicque actum est, quom apud hostes sedimus;* Amph. 249: *Namque ego fui illi in re praesenti et meus quom pugnatumst pater.* Stich. 579: *Quom hic non adfui, cum amicis deliberavi.* Eorum natura ea est, ut statuatur plena temporis aequalitas et enuntiati primarii et secundarii: quod si ratio ea intercedit, ut actio enuntiati temporalis duret actione primaria aut ipsa durante aut intercedente, cum apud alios scriptores tum apud Plautum maxime legitimum est imperfectum cum coniunctione ‚quom' quidem coniunctum. His enim tribus exceptis omnes loci Plautini, qui hac eadem sint natura, in enuntiato secundario habent imperfectum. Sunt autem hi loci: Amph. 199: *Nam quom pugnabant maxime, ego tum fugiebam maxime.* As. 927: *Modo quom dicta in me ingerebas, non uxor eram.* Aul. 178: *Praesagibat mi animus frustra quom exibam domo.* Mil. glor. 181: *Quom abibam, hic erat.* Pseud. 500: *Non a me scibas pistrinum in mundo fore tibi, quom ea mussitabas?* Pseud. 1180: *Noctu in vigiliam quando ibat miles, quom tu ibas simul, conveniebatne in vaginam tuam machaera militis?* Rud. 1252: *Sed quom inde suam quisque ibant divorsi domum, nullus erat illo pacto, ut illi iusserant.* Rud. 307: *Nam quom modo exibat foras, ad portum se aibat ire* (cf. pag. 8). — Amph. 427: *Legiones quom pugnabant maxime, quid in tabernaclo fecisti?* Curc 541: *Idem ego istuc, quom credebam credidi...* Merc. 753: *Haecine tua est amica, quam dudum mihi te amare dixtei, quom obsonabas?* Men. 1052: *Eripui, quom homines ferebant te sublimem quattuor* (‚qui' in libris exstat, ‚quom' sine dubio recte Ritschelius

coniecit). Most. 1117: *Quoiusmodi reliqui, quom hinc abibam, filium?* Rud. 1249: *Spectavi ego pridem comicos ad istunc modum sapienter dicta dicere atque is plaudier, quom illos sapientis mores monstrabant poplo.* Eadem ratio temporalis, nisi quod in enuntiato primario plusquamperfectum loco perfecti exstat, habetur Cist. I. III, 38: *Quam olim tollere, quom ipse exponebat, ex insidiis viderat.*

Qua ratione cum vix recte habere se illos tres locos appareat, tum confirmatur suspicio paullo accuratius lectionibus traditis perspectis. Nam primum quidem Amph. 599 ‚quom' coniectura est Fleckeiseni, traditum autem est in codicibus ‚dum': quam particulam si ea quam supra descripsimus condicio temporalis subest, recte trahere perfectum infra erit exponendum. Neque quidquam in hac condicione ad ‚quom' praeferendum valet id quod attulit Luebbertus p. 57: *‚Die Angabe so lange wir vor dem Feinde lagerten, ist nicht so passend, als die einfache Zeitangabe mit ‚quom';* immo, cum etiam usus dicendi obsit, prorsus vetamur de fide librorum recedere. Deinde Amph. 249 et Stich. 579 in codicibus occurrit ‚cum': quod quam facile nascatur ex ‚dum' in promptu est. Quare etiam in his exemplis necessario scribendum videtur ‚dum'.

Atque haec est imperfecti potestas: nisi quod etiam absolute, quem usum recte omittere possumus, usurpatur ad statum vel consuetudinem significandam. A qua potestate clare perfecti historici cum particula ‚quom' coniuncti potestas discernitur. Nam perfecto logico quod ab hoc loco procul est habendum omisso[1] omnia exempla aut eam condicionem habent, ut actio

[1] Cf. exempla a Luebberto l. c. sub *Ah* collecta.

primaria duret intercedente actione secundaria: quod fit his duobus locis: Most. 162: *Haec illast tempestas mea mihi quae modestiam omnem detexit tectus qua fui, quom mihi Amor et Cupido in pectus perpuit meum.* Rud. 846: *Etiamne in ara tunc sedebant mulieres, quom ad me profectu's ire?* Aut perfectum ponitur, si exprimendum est omnino duas actiones ratione temporali esse coniunctas atque in idem fere temporis spatium incidere neque accuratius quaeritur vel quaeri potest, utrum per idem plane tempus durent an altera prius sit absoluta quam altera. Quae ratio sub his exemplis latet: Men. 62: *Eumque heredem fecit quom ipse obiit diem.* Idem fere exemplum legitur Poen. 1070. Cas. prol. 17: *Haec quom primum acta est fabula, vicit omnes fabulas.* Men. 393: *Scilicet qui dudum tecum venit, quom pallam mihi detulisti.* Merc. 393: *Mihi quidem edepol visast, quom illam vidi.* Amph. 1137: *Tu gravidam illam fecisti, quom in exercitum profectu's.* Pseud. 623: *Olim quom abiit, argento haec dies praestitutast.* Trin. 879: *Census quom sum, iuratori recte rationem dedi.*

Dixerit quispiam eandem rationem temporalem, quanquam imperfectum adhibitum sit, cognosci iis locis qui leguntur Men. 632: *Te... vidi astare, quom negabas mihi esse sanum sinciput, et negabas me novisse, peregrinum aibas esse te.* Men. 1145: *Nam illa quom te ad se vocabat, memet esse credidit.* Sed si respicias verba dicendi haec esse, negare non licet hos locos adnumerandos esse iis quos pertractavi pag. 8 sq. Imperfectum igitur significat statum durantem per id tempus, intra quod fit actio primaria.

Restat ut quaeratur accuratius quam late pateat usus praesentis historici cum particula ‚quom‘ con-

iuncti. Consociatur enim praesens historicum cum particula ‚quom‘, etiamsi in enuntiato primario exstat tempus praeteritum, apud comicos saepius. Atque Langius quidem censet (pag. 4) praesens historicum poni, si ea temporis condicio statuatur, quam nos vocula ‚während‘ significemus. Haec cum sit imperfecti potestas, videtur, si quidem Langium sequimur, praesens historicum partes imperfecti suscipere posse · quod plane nego; immo semper est loco perfecti historici, cuius potestatem inde a pag. 19 descripsimus, substitutum. Significat enim actionem quae aut incidit durante actione primaria vel absoluta: Capt. 887: *Sed Stalagmus quoius erat tunc nationis, quom hinc abit!* Merc. 617: *Jam addicta atque abducta erat, quom ad portum venio.* Men. 1136: *Hunc censebat te esse, credo, quom vocat te ad prandium.* Ibid. 1115: *Quot eras annos gnatus tum quom pater a patria te avehit?* Epid. 217: *Quom ad portum venio atque ego illam illi video praestolarier, et cum ea tibicinae ibant quattuor.* Men. 1054: *Tu clamamas deum fidem atque hominum omnium: quom ego accurro teque eripio vi pugnando, ingratiis.* Aut ea subest temporalis ratio de qua pag. 20 exposuimus: Capt. 282: *Vivom quom inde abimus liquimus.* Amph. 668: *Gravidam ego illanc hic reliqui, quom abeo.* Most. 25. *Haecine mandavit tibi, quom peregre hinc it senex.* Stich. 510: *Vocem ego te ad me ad cenam, frater tuos ni dixisset mihi, te apud se cenaturum esse hodie, quom me ad se ad cenam vocat.* Quae cum ita sint, falso praeter quam quod hoc etiam aliis de causis vetatur, Bothius Pseud. 501 pro ‚mussitabas‘ coniecit ‚mussitas‘. Nam cum hoc maxime loco prematur temporis aequalitas, imperfecto locus est legitimus, non praesenti historico pro perfecto substituto.

Neque repugnat legi quam de imperfecti et praesentis historici discrimine statuimus, quod in nonnullis exemplis inter se simillimis hic imperfectum illic praesens historicum obviam fit (cf. vers. Amph. 668 et Capt. 282 cum vers. Most. 1117, deinde Men. 1136 cum vers. 1145). Hoc enim discrimen non tam ad rem ipsam, quam ad rationem cogitandi pertinet. Nam Most. 1117 et Men. 1145 enuntiati temporalis status durans fingitur intercedente actione primaria: id quod certe fieri potest. (cf. de Men. 1145 p. 54). Contra Capt. 282, Amph. 668, Men. 1136 is qui loquitur nihil exprimere vult nisi actiones primariam et secundariam ad idem fere temporis spatium pertinere.[1]

Atque hic quidem est usus praesentis historici cum coniunctione ‚quom' coniuncti. Aliter res se habet, si, id quod fit paucis locis a Luebberto pag. 174, 178, 183 allatis, particulae ‚postquam, ubi, ut, quoniam significatione ‚seitdem' indutae[2] cum praesenti historico coniunguntur. Qua in temporali condicione actio primaria fit durante secundaria: ex quo efficitur praesens historicum obtinere locum imperfecti, id quod legi de particula ‚quom' statutae contrarium est. Falso

[1] Vides quam et constanter et distincte Plautus tempora adhibeat. Quod quo magis illustretur, illud affero, ‚dum' significatione ‚so lange als' indutum consociari uno exemplo excepto (Truc. 164) cum perfecto; contra ‚quom', si illa temporis condicio subest, semper coniungi cum imperfecto. Quod discrimen hanc habet causam quod per se ‚quom' latiore significatione est, cum nihil de accuratiore temporis condicione indicet; itaque ad illam notionem efficiendam necessario sibi assumit imperfectum; contra particula ‚dum' adhibita nulla obscuritas oboriri potest, etsi perfectum adhibeatur.

[2] Sed facile intellegas ex exemplis ipsis notioni temporali aliquid admixtum esse notionis causalis.

autem Luebbertum iudicasse, cum dixit praesens historicum cum his particulis coniunctum etiam pro perfecto admitti posse, ex locis ipsis clare perspicitur; semper enim cognoscitur status durans.

Iam ut ad enuntiata relativa transeamus, primum nobis occurrunt pauca exempla, quae luculenter quanta cum arte Plautus temporum potestates distinxerit nos docent. Legitur Aul. 707: *Indeque exspectabam ubi aurum abstrudebat senex.* Rud. 956: *Furtum ego vidi qui faciebat*; *noram dominum id quoi faciebat.* Quibuscum locis comparandi sunt hi: Amph. 460: *Ibo ad portum atque haec ut facta sunt ero dicam meo.* Rud. 1211: *Eloquere, ut haec res obtigit de filia.* Atque in illis praecedente praeterito sequitur imperfectum, in his autem praecedente praesenti sequitur perfectum: quae temporum differentia ex rerum condicione apta est. Nam illic is qui narrat animum prorsus in praeteritum tempus remittit ita, ut rem quasi nascentem et durantem videat: imperfecto igitur erat locus concedendus. His autem locis res praeterita nude refertur ad tempus praesens, cui muneri suscipiendo aptum est perfectum. Magis vero res illustratur, si usum a classicis scriptoribus observatum, comparamus. Nam haec enuntiata, quanquam sunt relativa vel comparativa, tamen ad naturam interrogationum obliquarum tam prope accedunt, ut deinceps prorsus in ea sint conversa.[1] More autem Ciceroniano pronuntiarentur sic: *ego vidi qui faceret,* et: *dicam quomodo res facta sit.* Itaque cum apud Plautum modus indicativus sit legitimus contra atque apud scriptores classicae aetatis, tamen iam apud illum valet ea diligentia qua apud

[1] Qua de re conferas E. Beckerum, de syntaxi interrogationum obliquarum pag. 310, 311.

scriptores classicos in enuntiatis secundariis coniunctivus perfecti et imperfecti discernuntur.

Iam ad alium usum transeamus quo potissimum firma dicendi consuetudo demonstretur. Est enim quoddam genus dicendi in quo imperfectum semper evitetur, usurpetur autem perfectum; quod quale sit ex exemplis ipsis iudicemus. Merc. 256: *Postquam id quod volui, transegi, ibi ego conspicor navem ex Rhodo, qua herist advectus filius.* Most: 433: *Verum si posthac me pedem latum modo scies imposisse in undam, hau causast, illico quod nunc voluisti facere quin facias mihi.* Mil. glor. 606: *Atque eadem, quae illis voluisti facere, illi faciunt tibi.* Ibid. 1200: *Quod volui, ut volui, impetravi.* Persa 722: *Attat, oblitus sum intus dudum edicere, quae volui edicta.* Pseud. 424: *Quo commeatum volui in argentarium proficisci, ibi nunc mihi oppido obsaepta est via.* Merc. 94: *Omnis ut volui vendidi ex sententia.* Men. 364: *Omne paratumst, ut iussisti, ut voluisti.* Mil. glor. 1220: *Cum ipso pol sum locuta, placide, dum lubitumst mihi, otio, meo arbitratu, ut volui.* Ibid. 1204: *Verum postremo ut volui impetravi.* Trin. 827: *Nam pol placidum te et clementem eo usque modo, ut volui, usus sum in alto.* Pseud. 1269: *Postquam opus meum, ut volui, omne perpetravi, hostibus fugatis, illos cubantes potantes amantes cum scortis reliqui.* Cf. Ter. Andr. 841: *Et nescio qui tibi sum oblitus hodie ac volui dicere.* Hanc autem speciem haec exempla prae se ferunt ut enuntiato secundario aliquod consilium, enuntiato autem primario res ipsa ad quam tendit hoc consilium exponatur; itaque infinitivus eius verbi quod exstat in enuntiato primario aut iuxta ‚volui' (voluisti) positus est aut subintellegendus. Atque supra

vidimus ‚volebam' poni saepius, si de actione imperfecta quae etiam in praesentia duret agitur; eis autem quos nunc pertractamus locis, haec est consuetudo a Plauto quidem observata, non ut indicetur consilium durare etiam in praesens, sed certo temporis momento captum iam desiisse. Sed hic error mihi refellendus videtur ille, in his exemplis pro rerum condicione nihil aliud nisi perfectum poni posse. Terentius quidem et Cicero etiam imperfecto utuntur cf. Terent. Phorm. 758: *Offendi adveniens quocum volebam et ut volebam conlocatam gnatam.* Cic. ad Att. I, 17, § 1: *nec tantum proficiebam quantum volebam.*

Forte miretur quis cur nusquam plusquamperfectum admissum sit; nam cum non status durans, sed actio vel significatio voluntatis exprimatur quae praecedit rei faciendae, illis quidem locis, qui habent in enuntiato primario praesens, perfectum recte exprimit actionem secundariam praecedentem primariae; at si adest perfectum, exspectatur plusquamperfectum. Neque tamen plusquamperfectum adhiberi potest, quod in enuntiato primario intellegendum est perfectum logicum quod spectat ad tempus praesens. Sic exempla Plautina cum ratione conspirare videmus. Quae cum ita sint, sine dubio falso coniecit ‚volueram' Ritschelius in versu qui legitur Pseud. 424: *Qua in commeatum volueram argentarium proficisci, ibi nunc mihi oppido obsaepta est via.* Quod abesse a veritate et rationes quas protulimus et libri ipsi sunt testes. Sed tamen librorum lectio, quae est haec: *qua in commeatum volui argentarium . . . non plane ea de causa servanda est* quod claudicat metrum. Itaque cum Bothio recte scribi puto sic: *quo commeatum volui in argentarium . . .* Con-

tra versus Bacch. 149: *Video nimio iam multo plus quam volueram* cum aliis de causis movet suspicionem tum idcirco quod plusquamperfectum et a consuetudine et a ratione abhorret. Summo igitur iure a Ritschelio uncis inclusus est. Aliter res se habet As. 211: *Quod ego iusseram, quod volueram, de industria faciebatis: quod nolebam ac votueram, fugiebatis.* Hoc quidem loco ‚volueram' est legitimum, cum de re praeterita agatur; sed ‚nolebam', quamquam ratione defendi potest, tamen repugnat consuetudini. Accedit quod alii aliis de causis hunc versum esse spurium censent.[1] Haec igitur suspicio iis rationibus quae exposui confirmatur. Unum restat huius generis exemplum quod accuratius pertractandum puto, legitur autem Poen. 1230. Alii alia moliti sunt ad menda quae sine dubio in hoc versu delitescunt tollenda; neque tamen rem absolverunt. Quare cum dubitari possit vehementer de vera lectione, tamen mihi liceat proponere hanc, quae proxime accedit ad Bothii lectionem: *Ag.: Illud quod volui. Ad.: Dice. Ag.: Immo hercle dixi quod volebam.* Locum autem interpretandum esse hoc modo arbitror. Agorastocles postquam se amaturum esse Adelphasion dixit, aliquid ad hanc rem pertinens addere vult; sed videlicet quod dum loquitur nihil iam sibi esse addendum intellexit, haesitat; haesitantem iubet Adelphasion eloqui quid velit: cui affirmat se iam dixisse quid facere vellet. Jam apparet quomodo illud ‚quod volebam' interpretandum sit. Neque enim secundum rationem illorum locorum qui habent perfectum supplendus est infinitivus ‚dicere' (dixi quod dicere volebam), sed ‚volebam' est referendum ad illa quae priore versu dicuntur, amorem atque amplexum. Neque aliter

---

1 Cf. Langen, Plaut. Studien, p. 9.

‚quod volebam' (= meine Absicht) hoc loco usurpatum est quam in versu, quem exempli gratia affero, As. 392. Licebat igitur poetae eodem iure dicere: ‚quod volo' vel ‚quod est meum consilium'. Contra perfectum hoc loco est procul habendum, quod hoc quidem loco alicuius momenti est ut hoc prematur, voluntatem etiam in praesentia durare: quae minime est natura eorum locorum qui perfectum habent.

CAP. II.

De Plusquamperfecto.

Plusquamperfectum primitus, id quod vel forma eius declaratur, erat quasi imperfectum quod quidem pertineret ad perfectum logicum, cum illud quod proprie dicitur imperfectum spectet ad praesens. Sed vix certum huius generis quod modo descripsimus exemplum inveni. Saepissime enim adhibetur sic plusquamperfectum ut significet aliquam actionem ante aliam praeteritam esse factam absolutamque. Refertur igitur ad aliud tempus praeteritum, unde recte appellari potest tempus relativum. Atque hoc quidem in genere quaedam proprietates possunt deprehendi. Satis creber est ille usus in enuntiatis primariis, ut plusquamperfectum perfecto ad quod pertinet succedat. Velut As. 449: *Quamdudum tu advenisti? Non hercle te provideram.* Ea igitur quae prius facta sunt posteriore loco narrantur. Quae perversio cum per se ipsa arguitur esse sermonis laxioris dialogique naturae deberi tum eo, quod apud eos scriptores qui testes sunt sermonis cotidiani potissimum invenitur, rarius autem apud

eos, qui sedatiore et severiore genere dicendi utuntur. Cf. Ter. Phorm. 612-613; Hec. 142; Cic. ad fam. V, 2, 8 (dixerat).

Aliud est illud genus, ut dumtaxat in enuntiatis primariis plusquamperfectum perfecto ad quod spectat praecedat. Sufficere enim ad rationem temporalem exprimendam perfectum videtur. In Ciceronis quidem epistulis illud genus frequens est, sed ita tantum adhibetur plusquamperfectum, ut, si fieret coniunctio hypotactica, id enuntiatum quod continet plusquamperfectum esset concessivum: ad Fam. XIV, 4, 6: *Sicca dixerat se mecum fore; sed Brundisio discessit;* ad Fam. VII, 5, 1: *Trebatium cogitaram... sed posteaquam...*; ad Fam. III, 3, 2: *ex litteris intellexeram, permultos a te milites esse dimissos; sed mihi Fabius demonstravit, integrum militum numerum fuisse.* Cui simile unum inveni apud Plautum exemplum vers. Pseud. 148: *Atque heri iam edixeram omnibus dederamque suas provincias: verum ita vos perditi estis...* In quo tamen exemplo perinde atque in illis quae a p. 30 pertractabimus plusquamperfectum non ad perfectum sed ad praesens refertur. Atque haec quidem species plane respondet ad sermonem cotidianum; est enim parataxis adhibita in eo sententiarum conexu, ut in genere minus laxo dicendi certe adhiberetur hypotaxis. Aliter res se habet, si apud historicos plusquamperfectum perfecto praecedens hanc habet vim, ut animum ad ea quae sequuntur dirigat. Velut Liv. IV, 47: *Transierat ex re bene gesta superbia neglegentiaque ad Aequos, quae in Romanis ducibus fuerat. Itaque... dictator... iussit.* Corn. Nep. Ages 1, 4: *Eundem moriens suum esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao contendit.* Quae ratio cum accurate conexum rerum in-

dicet, non est sermonis cotidiani celeriter leviterque currentis. Et si Plautum perquisiveris, vix certum huius usus occurrit exemplum. Inveni enim tria, quae tamen pro testimoniis certis habenda non sunt. Primum exstat Curc. 644: *Ea me spectatum tulerat per Dionysia. Postquam illo ventumst, iam, ut me collocaverat, exoritur ventus turbo.* Locum sic recte non habere vel ea re ostenditur, quod editores cogente contextu verborum post vers. 644 lacunam statuerunt. Deinde Men. 592 in A sic exaratum est: *aut plus aut minus quam opus fuerat dicto* (FUER... DIS·O...) *dixeram controversiam, ut sponsio fieret ille qui praedem dedit.* Locus tam mendose est traditus ut omnino sit difficile eum ad veram formam redigere. Sed hoc quidem verisimile est non ‚dixeram‘ sed ‚dixi‘ exaratum fuisse. Nam et Ritschelius et Vahlenus [1] et Teuffelius [2] et Brixius [3] ad accusativum ‚controversiam‘ addunt pronomen ‚eam‘, quod certe sensu flagitatur. Quod pronomen mihi optime ex lectione tradita elici posse sic videtur, ut cum Vahleno ‚dixi eam‘ corruptum esse in ‚dixeram‘ statuamus. Denique vers. Aul 312, qui in libris sic traditur: *Quin ipsi pridem tonsor unguis dempserat,* O. Seyffertus ante ‚ipsi‘ inseruit ‚quom‘. [4] Sed qua causa adductus sit, quanquam et Luebbertus (p. 73) et Langius (p. 25, adn. 53) et Goetzius eum sequuntur, nescio. Neque tamen ut falsam coniecturam reicere velim; comprobatur enim iis quae exposui. Nam si particula ‚quom‘

---

1 In Mus. Ren. XVI, p. 633.
2 In Mus. Ren. XXII, p. 452.
3 In appendice Menaechmorum critica.
4 In Philol. vol. 25, p. 442.

inserta evadit coniunctio hypotactica, plusquamperfectum nihil habet quod offendat; cf. etiam Aul. 316: *Pulmentum pridem ei deripuit milvos: homo ad praetorem plorabundus devenit;* ubi re in simillima perfectum, non plusquamperfectum adhibita parataxi admittitur.

Iam pertractandum est nobis genus dicendi, quod cum hic illic occurrat apud scriptores qui severiore generi dicendi utuntur, tamen vere est sermonis cotidiani proprium. Qua de re scripsit Brehmius,[1] neque tamen ita ut omnino ei assentiri possim. Id enim maxime egit, ut demonstraret quomodo iam ab antiquissima aetate tempora grammatica promisscue usurpata essent. Atque cum eam quam nunc pertractabimus dictionem popularem intellegi velit, tamen unde haec licentia esset derivanda quaerere omisit. Quanquam non omni explicandi ratione destituti sumus, si rem accuratius pertractamus. Atque primum quidem congeramus exempla ipsa: Amph. 383: *M: Amphitruonis te esse aiebas Sosiam. S: Peccaveram. Nam Amphitruonis socium dudum me esse volui dicere.* Capt. 309: *Hoc te monitum volueram.* Non satis causae esse, cur cum Brixio scribamus ‚volueram‘, ex iis quae infra exponemus cognoscetur. Curc. 41: *Ph: Etiam tu taces. P: Nempe obloqui me iusseras.* Ibid. 425: *Quod istuc scriptumst, id te vocare iusseras.* Mil. glor. 1346: *P: Quid istuc est negotii. P: Animus hanc modo reliquerat.* Most. 519: *Th: Quicum istuc loquere? Tr: An quaeso tu appellaveras?* Ibid. 525: *Quid modo igitur? cur tanto opere extimueras?* Rud. 707: *D: Sed ubi sunt? Tr: Huc respice. D: Optume, hoc volueramus.* Ibid. 849: *Is dedit operam optumam. Is nunc cum servis servat: ego mandaveram.* Stich. 515: *A: Cras apud me eritis et tu et ille cum vostris uxoribus. P: At apud me perendie: nam ille heri me iam vocaverat.* Merc. 698: *Sed eum demiror non venire ut iusseram.* As. 715: *Atque illa sibi quae hic iusserat mihi statuis supplicasque?* Aul. 635: *At illud quod tibi abstuleras cedo.* Ibid. 697: *Strobilum miror ubi sit, quem ego me iusseram hic opperiri.* Ibid. 766: *Illam ex Silvani loco quam abstuleras, cedo.* Men. 426: *Pallam illam quam dudum dederas, ad Phrygionem ut deferas.* Ibid. 807: *Quin etiam nunc habet pallam, pater, et spinter, quod ad hanc detulerat.* Pseud. 638: *Servos eius, qui hinc a nobis est mercatus mulierem, qui argenti meo ero lenoni quindecim dederat minas, quinque debet?* Accedunt illi loci creberrimi, ubi invenias ‚dixeram‘ ratione perfecti fere, ut nobis quidem videtur, usurpatum. Quae cum a Brixio ad versum Capt. 17 adnotata sint, supersedeo hic proponere. Atque si qualis sit ratio plusquamperfecti quaerimus, nobis sunt proferenda haec. Quae enim ante haec a nobis pertractata sunt exempla, id habebant commune, ut semper adesset actio praeterita, ante quam id quod exprimebatur plusquamperfecto factum esset. Contra in his exemplis nullum adest perfectum vel imperfectum, ad quod sit plusquamperfectum referendum. Quod ne Amph. 383 quidem fit, ubi ‚peccaveram‘ non ad imperfectum ‚aiebam‘ referri potest; ‚peccaveram‘ enim non praecedit, sed eadem est actio quae exprimitur voce ‚aiebat‘; similiter est res comparata Stich. 251: *Gel: Jamne exta cocta sunt? Quot agnis fecerat? Cr: Illa quidem nulla sacruficavit.* Neque tamen plus-

[1] De laxo temporum in prisca lingua latina usu. Gottingae 1877.

quamperfectum sine ratione ponitur, quae est ex dialogi natura repetenda. Nam cum dialogus per tempus procedat, fit ut eae res quae priore aliquo tempore factae vel dictae sunt sint praeteritae, cum earum tempore posteriore fit mentio. Atque is qui loquitur, si hoc exprimere vult omnino aliquid ad dialogum pertinens esse praeteritum, perfecto utitur vel, quod p. 19 exposuimus, praesenti: sin autem exprimendum est, aliquid ab ea re quae praesens est loquenti non proxime abesse, sed alias ad dialogi tempus pertinentes res esse interiectas, quamvis non expressis verbis eo ipso loco commemorentur, iure plusquamperfectum adhibetur. Quod cuiusmodi sit ut clarius ante oculos ponatur, unum alterumve exemplum accuratius si placet consideremus. Most. 519: *An quaeso tu appellaveras?* Theopropides vers. 517 Tranionem appellat; deinde intercedentibus iis verbis quae continentur vers. 517-519 Tranio quaerit: *an quaeso tu appellaveras?* Tria igitur temporis momenta discerni possunt: tempus quo appellatur Tranio; deinde tempus in quod incidunt verba a. vers. 517 usque ad. v. 519 pertinentia; denique tempus quo Tranio Theopropidem interrogat. Atque illa momenta cum ambo sint praeterita, alterum alteri praecedit. Recte igitur priori momento significando obtigit plusquamperfectum. Atque hoc quidem loco quanquam perfectum vel imperfectum ad quod referatur plusquamperfectum non adest, tamen adest res ante quam quae plusquamperfecto continentur sint facta. Plane vero talis subintellegenda est actio Mil. glor. 1346: *P: Quid istuc est negotii? P: Animus hanc modo reliquerat.* Est enim sic interpretandum, priusquam Pyrgopolinices interrogaverit quid esset negotii, iam Philocomasion resipivisse. Itaque plusquamperfecto ‚reliquerat'

exprimitur animum, postquam Philocomasium reliquisset, ante verba Pyrgopolinicis rediisse. Quibus expositis locis nulla explicandi difficultas remanet in vers. Amph. 383, Curc. 41. Atque cum his locis res plusquamperfecto narratae extra tempus unius scaenae non prodeant, cetera exempla partim ad partes fabulae priores spectant, partim ad ea quae ante fabulam sunt facta atque longiore temporis spatio remota. Neque igitur licebat Hoffmanno (p. 178) Luebberti sententiam impugnare, plusquamperfecto illud interdum significari quod a tempore loquentis longius abesset: nisi quod ea Luebberti verba nihil inesse relationis in hoc plusquamperfecti genere, ex his quae exposui reicienda esse apparet.

Omnino autem illud perspicitur plusquamperfecto hac ratione adhibito varietatem orationis augeri; dialogum autem comoediae ea quoque de causa propius accedere ad sermonem cotidianum, quia in diverbio saepe aliquid non expressis verbis indicatum cogitatione supplendum est, ex exemplis pertractatis satis est demonstratum.[1]

Restat ut de quodam genere dicendi agamus, quod cum ab aliis scriptoribus non respuatur, tamen maxime a Plauto in deliciis habitum esse videtur. Haec sunt exempla: Cist. I, 1, 43: *L: Hanc... repuli ad meretricium quaestum nisi ut ne esurirem. Sil: At satius fuerat eam viro dare nuptum potius.* Curc. 266: *Namque incubare te satius fuerat Jovi.* Men. 592: *Haut plus, haut minus quam opus fuerat, dixi.* Merc. 972: *Nam te istac aetate haud aequom filio fuerat tuo adulescenti amanti eripere nuptam argento suo* Stich. 512: *Et magis par fuerat me vobis dare cenam ad-*

[1] Cf. etiam Ter. Heautontim. 500, 660. Hec. 648.

venientibus. Trin. 119: *Ei rei operam dare te fuerat aliquanto aequius.* Curc. 637: *Is priusquam moritur mihi dedit tanquam suo, ut aequom fuerat, filio.* Trin. 1039: *Eae misere etiam ad parietem sunt fixae clavis ferreis, ubi malos mores adfigi nimio fuerat aequius.* Cum sane mirum sit, cur non imperfectum vel perfectum positum sit, tamen plusquamperfectum ratione non caret. Videtur enim condicio horum locorum aliqua ex parte similis esse eis quos p. 11 pertractavimus. Nam officium valet et ante id tempus et per id ubi exspectetur actio ipsa. Itaque ut illic ad condicionem temporalem plene exprimendam imperfectum poni posse demonstravimus, sic in loco est hic plusquamperfectum.

Venio nunc ad plusquamperfecti in enuntiatis secundariis usum. Atque primum quidem in enuntiatis temporalibus ea ratione utar, ut, cum a Luebberto, Langio, Schuberto iam pertractata sint, ea tantum afferam quae sunt addenda vel corrigenda. Legitur Epid. 444: *Atque haec stultitiast me illi vitio vortere, egomet quod factitavi in adulescentia quom militabam: pugnis memorandis meis eradicabam hominum aures quando occeperam.* Ad quem locum adnotavit Goetzius: *Vers. 444-447, quos post versum 430 habent libri, huc transposui... post 455 Acidalius; quanquam nondum omnia recte se habere concedo; an vetus additamentum sunt vers. 442-443 perincommodi?* Ne ipse quidem bene omnia inter se quadrare censeo; neque tamen vers. 442-443 sedem esse corruptelae puto, sed vers. 443-447. Quid enim Periphanes his verbis vim eorum quae antecedunt attenuaret? Deinde pro ‚atque' exspectamus ‚sed', cum sequatur res praecedenti opposita. Denique, quod maxime ad propositum nostrum pertinet, praeter

hunc nullus apud priscos scriptores latinos invenitur locus ubi ‚quando' coniunctum sit cum plusquamperfecto. Quare cum nec structura suspicione libera sit neque aut eo loco quo sunt traditi aut alio ferendi sint, versus 444-447 additamentum esse crediderim.

Deinde quoniam ‚ut' particulam temporalem constat cum apud alios scriptores tum apud Plautum, nisi repetitio subest, plerumque trahere perfectum, etsi actio secundaria ante actionem primariam absoluta sit, ii loci ubi exhibeatur plusquamperfectum suam sibi explicandi rationem poscunt. Restant autem seclusis iis quibus continetur repetitio quattuor loci. In quibus quam habeat plusquamperfectum causam alii aliter opinati sunt. Atque Luebbertus quidem (p. 184) nihil attulit quod valeret ad rem bene expediendam. Deinde Langius censet (p. 24) plusquamperfectum effectum esse particulis ‚dudum' et ‚pridem', sed nihilominus concedit aliis locis usitatius esse perfectum. Postremo Schubertus ad rem illustrandam (p. 14) quaedam protulit: *Die Vergleichung mit der Stelle Most. 484 lehrt unzweifelhaft dass an diesen Stellen in dem Satze mit ‚ut' das Plusquamperfectum gesetzt ist, weil es einem zweiten neben ihm stehenden Zeitsatze subordinirt ist... Das Plusquamperfectum bezeichnet hier also eine Zeit, die der von dem zweiten Temporalsatze in der Vergangenheit bestimmten Zeitlage vorausgeht.* Quod ut sane concedi potest Men. 63 et Most. 484, ita minus quadrat ad vers. Curc. 646, plane vero haec explicandi ratio est removenda a versu Bacch. 957. Cum igitur de vers. Men. 63 et Most. 484 eandem sequar sententiam atque Schubertus, in vers. Curc. 646 ea accuratius enuntiatorum coniunctio est statuenda, de qua agit Naegelsbachius (Lat. Stilistik

§ 149). Rectius igitur Men. 63, Most. 484, Curc. 646 ea plusquamperfecti causa indicatur ut omnino varietas condicionum quae inter enuntiata secundaria intercedunt hoc modo cognoscatur. Deinde cum legatur Bacch. 957: *Nam dudum primo ut dixeram mendacium, et de hospite et de auro et de lembo, ibi signum ex arce iam abstuli,* unum tantum occurrit enuntiatum secundarium ita, ut illa vis hoc quidem loco in plusquamperfecto inesse non possit. Atque Luebbertus quidem censet p. 184 ita: *Ein eigenthümlicher Fall ist Bacch. 957, wo ‚ut' dadurch dass bezeichnet und den Inhalt des Factums im Hauptsatze ausdrückt.* Langius similem in modum (p. 24, adn. 52) credebat hoc loco temporis aequalitatem describi. Atque si respuitur plusquamperfectum tum cum actio secundaria praecedit primariae, quanto magis hoc est exspectandum ubi adest plena temporum aequalitas. Quare cum illorum sententia sit reicienda, plusquamperfectum hoc loco ea de causa esse positum credendum est, ut temporis discrimen, quamvis sit parvum, clare indicetur. (Kaum gesagt, da nahm ich auch schon das Bild von der Burg.) Hanc rationem si statuimus, orationem multo efficaciorem fieri puto quam si plena temporis aequalitate statuta vertimus: indem ich die Lüge sagte, nahm ich das Bild weg.

In enuntiatis relativis plusquamperfectum eodem modo adhiberi posse atque in enuntiatis primariis, iam supra vidimus. Sunt porro enuntiatorum relativorum exempla, ubi cum plusquamperfectum poni par esse putes, tamen perfectum inveniatur: Capt. 142: *Tum denique homines nostra intellegimus bona, quom quae in potestate habuimus amisimus.* Curc. 600: *Quam habui, absumpsi celeriter.* Most. 315: *Nam illi, ubi fui, inde effugi foras.* Pseud. 72: *Haec quae ego*

conscripsi, ut scires curavi omnia. Trin. 136: *Inconciliastin eum qui mandatust tibi? Ille qui mandavit, exturbasti ex aedibus?* Truc. 235: *Is amatur apud nos qui quid dedit oblitust datum.* Cist. II, III, 67: *Medioxumam quam duxit uxorem, ex ea gnata est haec virgo.* Illud autem omnibus his enuntiatis relativis commune est quod nullo alio munere funguntur, nisi ut substantivi vel adiectivi vices agant. Ad quae cum minus ratio relatioque plusquamperfecto expressa, quae potius verbi est propria, pertineat, perfectum prorsus sufficit. Accedit in omnibus praeter Most. 313 et Trin. 136 ea perfecti causa quod in enuntiato primario exstat perfectum logicum, quod ad tempus praesens plane pertineat.

Adiungatur hoc loco enuntiatum comparativum in quo imperfectum pro plusquamperfecto substitutum videtur Merc. 216: *Quin quicque ut dicebam, mihi credebat;* praecedit enim ‚dicere' ‚credendo'. Sed causa imperfecti intellegitur, si quae sunt de verbis dicendi p. 181 sq. exposita conferas.

CAP. III.

De Futuris.

Quo longius usque ad primordia linguae latinae recedimus, eo magis futurum neque specie neque usu sui esse iuris, sed ex aliis verbi formis esse derivatum artissimeque suspensum perspici licet. Hae autem sunt praesens tempus vel, quod ad futurum exactum pertinet, perfectum, atque modus coniunctivus. Atque usus quidem cognatio sane repetenda maximam partem ex similitudine formarum est: quae quomodo fierent

cum Westphalius[1] copiose disseruerit, haec cura iam ad me non pertinet. Unum illud hoc loco proferendum est et futurum et coniunctivum ex stirpe praesentis esse ducta; deinde futurum eorum verborum quae more grammaticorum coniugationibus III et IV attribuuntur, conflatum esse ex coniunctivo et ex eo modo qui cum illo in unum confluxit, optativo. Etiam fieri interdum addendum est ut futuri notio non simplici futuri forma exprimatur, sed quadam cum vi singulari ampliore genere dicendi. Quod sine dubio e sermone cotidiano depromptum genus ita est comparatum, ut quaedam verba quorum potestas initio quidem fuerit absoluta, abeant plane in genus verborum auxiliarium sibique assumant ad sensum integrum assequendum infinitivum vel participium vel supinum eius verbi quod indicet actionem ipsam. Sunt quaedam de hac re disputata a Brixio et a Langeno in adnotationibus ad Capt. 345. Nescio an eodem spectent Most. 317: *Nunc commissatum ibo ad Philolachem.* Ibid. 566: *Sed occupabo adire.* Utrubique verbum finitum cum suam peculiarem exhibeat notionem, tamen alia ex ratione similiter verbis auxiliaribus usurpatur; significat enim rationem temporalem actionis ipsius ad futurum pertinere. Haec nosse hoc quidem loco de futuro conformando necesse censui.

Perspecta autem ratione futuri formandi consentaneum est nos rem ita amplecti, ut primum quae rationes inter futurum et praesens, deinde quae intercedant inter futurum et coniunctivum exponamus.

Aggredimur eum locum pertractandum ubi maxime in sermone Plauti eluceat sollertia quaedam; apud quem

[1] Die Verbalflexion der lateinischen Sprache (Ienae 1873) a pag. 113.

syntaxeos leges semper rerum narrandarum condicioni aptae sunt. Deinde apparet interdum, ut ita dicam, maior formarum verbi vis; nam cum is qui cogitationes sententiasque lente perpensas pronuntiat, multis particulis adhibitis indicat quae condiciones inter res narrandas intercedant, Plautus multifariam particularum vim in verbi formas ipsas transtulit; qua arte quantopere augeatur vigor orationis neminem fugiet qui vel obiter has res tetigerit. Sed singula videamus. Primum praesens in usu est pro futuro tum cum satis dilucide alio modo indicatur rem ad tempus futurum pertinere. Adverbio ‚cras‘ indicatur ratio temporalis Pseud. 60: *Cras ea quidem sunt.* Etiam eo loco qui legitur Poen. 343: *Quando illi apud me mecum caput et corpus copulas?* ipso contextu verborum dubitare vetamur, quin vis futura contineatur hoc loco; nam cum per se vix de alio tempore cogitari possit, tum sequuntur vers. 344: *Quo die Orcus Acherunte mortuos amiserit.* Neque multum differt ab hoc genere Cist. II, III, 85: *Ibo domum atque ad parentes reduco Silenium.* Cf. Ter. Andr. 594: *Ibo atque renuntio.* Eunuch. 493: *Simul imperabo: post huc continuo exeo.* Quibus locis comparatis Poen. 343 lectionem codicum EI, quam comprobat Ussingius, non tanti momenti esse censeo, ut scribamus ‚reducam‘ contra lectionem codicis B. In his enim exemplis ex futuro praecedente ‚ibo‘ colligi potest etiam praesens ad futurum tempus esse referendum. Item Truc. 418: *Ubi illud quae volo habebo ab illo, facile invenio quomodo discordiam et divortium inter nos parem.* Stich. 623: *Deos salutabo modo: poste ad te continuo transeo.* Paullo aliter est ratio praesentis, si pro futuro in interrogationibus substitutum indicat quandam festinationem, ita ut eas res quae re vera sint futu-

rae cogitemus praesentes. Interdum etiam fit ut insit vis minandi. Atque primum quidem haud paucis locis celeritas notatur adverbio adiecto. Adverbium autem ‚mox' invenitur his locis: As. 449: *Quam mox mihi das operam?* Cas. 616: *Quam mox recreas me?* Men. 156: *Quam mox incendo rogum?* Mil. glor. 1406: *Quam mox seco?* Rud. 1412: *Quam mox mihi argentum redditur?* Bacch. 775: *Quam mox navigo in Ephesum?* Ibid. 880: *Quam mox dico: ‚dabo'?* Mihi quidem pro certo statuendum videtur a voce ‚quam' enuntiatum primarium incipere, cum comparatis maxime exemplis iam a nobis pertractatis iubeamur statuere Nicobolum quaerere num quid mox futurum sit, ita ut ‚quam' sit adverbium interrogativum. Particula ‚iam' praecedit his locis: Curc. 132: *Jamne ego dico?* Pseud. 379: *Jamne abis?* Itaque fit ut saepe quoque particula ‚etiam', quippe quae composita sit ex ‚et' atque ‚iam', similem in modum usu veniat. Quam rem illustraverunt Langenus (p. 160) et Beckerus (p. 177). Quibus cum in universum assentiar, tamen nonnulla sunt addenda vel corrigenda. Atque recte quidem Langenus et Beckerus interrogationem interdum paene assequi vim adhortationis exposuerunt, nec non hoc Langeno est concedendum particulam ‚etiam', nisi sit significatione ‚auch', ‚sogar' induta, alienam esse ab imperativo (p. 160); at significatione ‚sofort' indutam semper habere indicativum praesentis. Quod cum sit verum, tamen non est, cur vers. Bacch. 1188: *Etiam tu homo nihili, quod di dant boni cave culpa tua amissis* pro ‚etiam' scribatur ‚sed iam'. Nicobolus enim cum vers. 1187 dixit se malle illos ulcisci ambo, eum se praebuit qui alios malo afficere vellet; sed Philoxenus Nicobulo, ut prudenter ageret, non solum ut ab

illo consilio recederet suasit, sed etiam cavendum illi esse censuit, ne ipse malum acciperet: ex quo intellegitur ‚etiam' esse hoc loco id quod nos vertimus ‚auch', ‚sogar'. Itaque reiecta illa coniectura prorsus in librorum memoria acquiesci posse censeo.

Accedunt ea exempla, quae cum particula quae quidem notionem habeat celeritatis insignita non sint, tamen ob eandem causam praesens locum futuri obtinere satis dilucide comprobent. Atque primum quidem, quod sciam, futurum nunquam admissum est in interrogationibus bimembribus, speciem festinationis prae se ferentibus. Quos inveni, loci omnes, etsi agitur de re futura, praesens exhibent: Aul. 660: *Abin an non?* Cas. 301: *Compressan palma an porrecta ferio?* Capt. 846: *Juben an non iubes?* Curc. 566: *Reddin an non virginem?* Mil. glor. 449: *Mittis an me non mittis?* Ibid. 1424: *Verberone etiam an eum amittis?* Persa 332: *Tacen an non taces?* Pseud. 1246: *Pedes statis an non?* Rud. 1399: *Tacen an non?* Truc. 755: *Redis an non redis?* Ibid. 825: *Dicin an non?* Bis inveni coniugationem periphrasticam: Stich. 265: *Iturus an non?* Truc. prol. 4: *Daturin estis an non?* Nullum autem exemplum inveni futuri. Ex qua exemplorum ratione colligi licet quid sit iudicandum de versu Aul. 431: *Volo scire: sinan an non sinas nos coquere hanc cenam!* Coniunctivum ferri non posse ostendit Beckerus (p. 159); futurum non posse ex iis apparet quae exposui. Scribendum igitur est: *Sinin an non sinis?* Deinde saepe in interrogationibus simplicibus praesens pro futuro celeritatis significandae causa admittitur: Amph. 568: *Abin ex conspectu meo?* Ibid. 857: *Abin hanc a me dignus domino servos?* As. 712: *Quoniam ambo, ut est lubitum, nos delusistis, datisne argentum?* Curc.

311: *Datin isti sellam ubi assidat cito et aequalem cum aqua? properatin ocius?* As. 755: *Addone id?* Aul. 660: *Fugin ab oculis?* Curc. 674: *Spondesne, miles, mihi hanc uxorem?* Truc. 631: *Datin soleas atque me intro actutum ducitis?*[1] Most. 774: *Fr. Eon? voco huc hominem? S. Voca.* Ibid. 734: *Non taces?* As. 931; *Curc.* 712. Most. 602: *Cedo faenus, redde faenus, faenus reddite. Daturin estis faenus actutum mihi? Hoc daturne faenus?* Vide qua ratione Plautus vim orationis sensim auxerit, temporibus hoc modo adhibitis, ut magis magisque instare danistam sentiamus. Epid. 157: *Quid hic nunc agimus?* Men. 549: *Quid agimus?* Most. 398: *Quid ago?* In codicibus exaratum est ‚quid agam'; sed recte vel inde a Lambino editores scripserunt ‚quid ago'? Neque enim, si dixisset Philolaches ‚quid agam', illud ‚accubas' quod respondet Tranio explicari posset. Itaque res sic se habet, ut Philolaches verbis ‚quid ago' interrogationem deliberativam ad futurum pertinentem intellegi velit; at Tranio, qui ludibrio habet Philolachem, sic respondet quasi ‚quid ago' vulgarem propriamque praesentis notionem exhibeat.

Hic usus praesentis pro futuro ad celeritatem significandam substituti omnino apud eos scriptores occurrit qui sermone cotidiano utuntur, etsi non ita crebro hoc fit apud illos ut apud Plautum. Andr. 337: *Fugin an non?* Ibid. 491: *Credone?* Adelph. 550: *Etiam taces?* Cic. ad. Att. XIII, 30: *Advolone an maneo?* Cat. I, 1: *Quoi dono lepidum novom libellum?*

Ex omnibus his exemplis colligitur aliquid imperii vel minarum inesse, si quidem altera occurrit persona; at si prima exhibetur, praesens est substitutum pro

---

[1] Cf. Seyfferti Stud. plaut. p. 31.

futuro deliberativo.[1] Recte autem hoc genus dicendi comparatur cum praesenti historico, cum utroque oratio fiat quasi fervidior alacriorque. Praestat igitur, cum hoc quod nunc pertractavimus genus non inveniatur apud eos scriptores qui sermonem litteris excultum exhibent,[2] hac quidem in re sermo cotidianus varietate ac vi.

Iam alia praesentis pro futuro admissi ratio addenda est. Nam praesens quoniam admitti videmus, cum non certum actionis momentum intellegendum est, sed omnino status condicioque in qua quis postquam fecit aliquid diutius versetur, saepius etiam pro futuro sic substituitur. Exempla iudicio eorum qui legunt subiciamus. Aul. 289: *S. Sed erus nuptias meus hodie faciet. A. Quoius ducit filiam?* ‚Facies' significat actionem certo temporis momento faciendam, ‚ducit' autem quanquam non minus per se quam ‚faciet' ad futurum pertinet, tamen indicat eum qui quaerit magis rationem habere condicionis, quae est sponsi, quam illius certae ducendi actionis. Capt. 481: *Ubi cenamus hodie?* (= *ubi est locus, quo hodie cenabimus*). Stich. 430: *Ubi cenas hodie?* Truc. 359: *Hicine hodie cenas, salvus quom advenis?* Pseud. 83: *Istocine pacto me iuvas?* (= *eane omnino ratio inter nos intercedit, ut cum res poscet adiuves me?*) *P. Do id quod mihi est* (= *Is sum qui dem*). Ibid. 1314: *At negabas daturum esse te mihi: tamen das?* Merc. 440: *L. Non centum datur.* As. 410: *L. Non eo. M. Non eis?* Multo hoc fortius, ut mihi quidem vi-

---

[1] Cf. pag. 70.

[2] Si invenimus apud Vergilium Aen. 4, 534: *‚quid agimus'*, vix hoc est repetitum ex sermone cotidiano, sed ex poetico cogitationis vigore, quo futura ut praesentia fingantur.

detur, hoc dictum est, atque ut ita dicam absolutius quam ,non ibo'. Cf. Ter. Andr. 321: *Hodie uxorem ducis?* Ibid. 352: *Non dat tibi uxorem.*

Satis igitur certis rationibus praesens partes futuri apud Plautum suscipit. Quod quo dilucidius fiat, de quodam genere dicendi pauca sunt afferenda, in quo nunquam praesens pro futuro admittatur. Certa enim lege futuro tum utitur Plautus, cum is qui loquitur indicat se iam aliquid facturum vel dicturum esse. Huius generis, quod cum medio in diverbio tum maxime in clausula scenarum usu venit, unum alterumve exemplum afferre sufficiet. Pseud. 414: *Nunc huc concedam, ut horum sermonem legam.* Poen. 900: *Hos percontabor.*[1] Recte autem hoc futurum appellari potest voluntativum, quod eius qui loquitur voluntas indicatur. Itaque intellegitur Plautum quam distinctissime uti opibus ab lingua praebitis ad res commode exprimendas; neque enim praesens notioni voluntativae recte indicandae sufficeret.

Sed cum statuerimus hoc in genere dicendi constanter futurum adhiberi, nostrum est ea quae repugnare videntur exempla accuratius pertractare. Primum huc pertinent Amph. 1143: *Ego in caelum migro.* Praesens recte ponitur; nam cum ita loquitur Jupiter, iam in caelum migrare coepit. Ibid. 1145: *Ibo ad uxorem intro: missum facio Tiresiam senem.* ,Missum facio' per se sane significare potest aut ,dimittere' aut ,neglegere'; quod si illa notio esset statuenda, res esset futura intercederetque demum cum ivisset ad uxorem; sed et sensus et grammatica ratio iubent nos hoc de Tiresiae ratione non habenda intellegere: quae

[1] Senecae hoc genus dicendi in clausulis quidem fabularum est ignotum.

actio sine dubio ad praesens tempus pertinet. Similiter in verbis eundi et sequendi si id exprimendum est aliquem iam coepisse ire vel sequi, dum harum rerum fit mentio, praesens adhibetur As. 378: *Ego abeo.* Amph. 455: *Abeo potius.* Aul. 809: *Jam te sequor.* Sin autem, quod non multum differt, premendum est actionem prorsus esse futuram, hoc tempus usurpatur. Amph. 550: *Ibo et Mercurium subsequar.* Neque discrepat locus Men. 43: *Ne mox erretis, iam nunc praedico prius: Idemst ambobus nomen genuinis fratribus.* Hoc enim loco si pro parataxi adhibita esset hypotaxis, quod est vulgare, sic legeretur: *Nunc praedico idem esse nomen ambobus fratribus.* Ex quo clare cognoscitur futuro nullum locum esse concedendum. Paullo aliter res se habet Poen. 427: *Fugio.* Nam quamquam is qui sic loquitur nondum fugit, tamen praesenti adhibito id efficit, ut is qui eum iubet fugere potius se iam hoc facere credat. Inest igitur in praesenti abhibito fraus quaedam.

Minime vero in Holtzii sententiam ire possum, qui plaudente Draegero praesens ,fateor', quod satis saepe apud Plautum invenitur, usurpatum esse pro ,fatebor' futuro statuerit. Equidem perlustratis exemplis quae ab Holtzio collecta sunt p. 68, nullam vim futuri deprehendere potui. Nam aut in verbo fatendi ipso inest confessio, aut in accusativo cum infinitivo pendente ex verbo fatendi. Et ne ea quidem exempla quae exstant Merc. 982: *Fateor, deliqui profecto.* Persa 734: *Fateor, habeo gratiam* ab hac lege abhorrent; est enim admissa perinde atque Men. 43 parataxis pro hypotaxi, quae est legitima *fateor me deliquisse*: quod si exstaret, nemo de futura notione cogitaret. Sed restat unus locus, ubi traditum est futurum. Rud. 284: *Am. Veneris fanum hoc est?*

Sa.: Fatebor: ego huius clueo fani sacerdos. Excusationem suam habet hoc loco futurum; nam sacerdos cum dixit ‚fatebor‘, nullam confessionem in verbo fatendi ipso inesse vult: immo cum maxime id agat, ut, quae sequuntur, animo attento percipiantur, futuro verbi fatendi hoc loco admisso hoc exprimi vult iam sequi illud: *ego huius clueo fani sacerdos.* Simili consilio usurpatum invenies futurum ‚fatebor‘ apud Vergilium, eclog. I, 32: *Namque fatebor enim, dum me Galatea tenebat, nec spes libertatis erat nec cura poculi....* Neque Propert. III 24, 12 singulare quidquam in futuro inest; referendum enim est ad ea maxime quae sequuntur inde a. v. 13. His expositis apparet quid sit iudicandum de versu Mil. glor. 554: *S. Fateor. P. Quidni fateare, ego quod viderim.* Scripsit Ritschelius duce Hermanno ‚Fatebor‘. Quas supra attulimus futuri causas, earum nulla hoc loco valet; neque persona mutata offendi potest, quod caesura intercedit. Quae cum ita sint, acquiescendum mihi videtur in tradita librorum lectione.

Iam transeamus ad futuri usum memorabilem eum ut pro praesenti usurpatum videatur. Simili enim modo atque imperfectum futurum usurpari potest, si qua res, quae per se latius valeat atque certi temporis notione exsoluta sit, ita ut praesens sit tempus legitimum, ad actionem refertur vel ad certum temporis momentum futurum. Est igitur quaedam temporum assimilatio, quae potissimum in excitatiore genere dicendi locum habet.[1] Ad quam rationem haec revocamus exempla: Curc. 493: *Atque ego commeminisse haec volam te.* Videtur hoc loco ea de causa futurum positum esse, ut ‚volam‘, quanquam voluntas

[1] Cf. pag. 15.

etiam in praesentia est, relatum sit ad ‚commeminisse‘, quae actio hoc loco est futura. Similiter res se habet Bacch. 339: *Ab eo licebit quamvis subito sumere.* Mil. glor. 395: *Narrandum ego istuc militi censebo.* Consilium eius qui loquitur sane et ad praesens et ad futurum tempus pertinet, nisi quod ad futurum accuratius refertur momentum quo fit narratio. Cf. Horat. Ep. I, 14, 44, ubi ‚censebo‘ artissime refertur ad unum quodque quod futurum est exemplum. Neque minus memorabile exstat exemplum Mil. glor. 638: *Plus dabo quam praedicabo ex me venustatis tibi.* Certe vix moveretur disputatio, si pro ‚praedicabo‘ legeretur ‚praedicavi‘, vel quod genus dicendi pro illo substitui licere pag. 19 vidimus, ‚praedico‘. Qualia praesentia quoniam eam rationem habere perspeximus, ut non solum actionem certo temporis momento factam indicent, sed etiam condicionem durantem, etiam hoc loco praedicatio non ad certum momentum, sed ad genus loquendi quod est militis grandiloqui spectat. Quod cum ita sit, nemo mirabitur, si pro praesenti generatim usurpato respecta illa attractionis lege Plautus futurum ad similitudinem vocis ‚dabo‘ ponit. Similis quidem attractio apud Terentium mihi non occurrit.

His exemplis adiungenda sunt simillima, quae tamen singulare quoddam habeant. Trin. 605: *Non credibile dices.* Non modo intellegitur actio dicendi simplex, sed omnino sententia durans, quae quidem semel expressa sit verbis. Futurum autem Plautus cum admisit accuratius, dicendi actionem referri voluit ad id momentum, ubi utrum Stasimi sententia vera esset necne cognosci posset. Simile temporis momentum est subintellegendum Merc. 399: *Horunc illa nihilum quicquam facere poterit admodum.* Persa 645: *Haec*

erit bono genere nata. Verterunt nonnulli recte quidem sic: es wird sich zeigen, dass sie aus gutem Geschlechte stammt. Pseud. 677: *Profecto hoc sic erit.* Talia futura facile speciem opinionis incertae praebere possunt, neque id mirum; quaecunque enim sunt futura, eadem minus sunt certa quam praesentia.

Iam ut ad futuri in enuntiatis temporalibus usum transeamus, Langius pag. 28 falso mihi censuisse videtur, ‚dum' particulam notione ‚so lange als' semper cum futuro associari in futura rerum condicione. Licet omittantur ad hanc sententiam refellendam loci hi: Curc. 57: *At illa est pudica neque dum cubitat cum viris.* Pers 113: *Dum manest, omnes esse mortales decet.* Truc. 163: *Dum vivit, hominem noveris* — his enim locis non certa res indicatur, sed aliquid in universum profertur, ex quo flagitari praesens consentaneum est — tamen restant alia exempla, quae Langii lege eximenda videntur. Nam Most. 216: *At hoc unum facito cogites, si illum inservibis solum, dum tibi haec aetatulast, in senecta male querere.* Nullam video rationem, qua statuenda sit quam vult Langius notio ‚während'.[1] Deinde ne illa lex laedi videatur, Langius significationem ‚bis' iis locis inesse statuit quos attulit p. 32; neque vero in omnibus eodem iure. Atque primum quidem Mil. glor. 196, 1404, Rud. 1032, 938, Curc. 253, Poen. 1421, Persa 500, Pseud. 40, Bacch. 988, 1006, Cas. 733, Most. 99 si significationem ‚bis' statuemus, sic erit vertendum Mil. glor. 196: *Schweig, bis ich meine Absichten in meinem Geiste werde gesammelt haben.* Bacch. 1006: *Höre,*

---

[1] Hoc discrimen inter ‚dum' notione ‚während' et ‚dum' notione ‚so lange als' expositum est apud Draegerum vol. II, p. 574 § 507 Aa, et p. 576 b.

bis ich durchgelesen haben werde, ita ut vices ageret praesens futuri exacti, non futuri I. At tamen cum grave intercedat discrimen inter hoc: höre bis ich durchgelesen haben werde, et illud: bis ich durchlese, significatio actionis perfectae minime est neglegenda. Quare cum minime futuri exacti notio ex praesenti elici possit, ne significatio quidem ‚bis' his locis deprehenditur, sed ‚so lange als'. Nemo vero cogitabit de significatione ‚bis' Merc. 20: *Nunc dum lubet licetque, pota.* Pseud. 1126: *S. Jamne illum comessurus es? B. Dum recens est, dum datat, dum calet, devorari decet.* Aliter fortasse iudicandum est de versu As. 463, qui in Ritscheliana editione sic legitur: *Credam fore dum quidem ipsus in manu habeo.* Sed si rem metricam respicimus, mihi potius cum Acidalio et Fleckeiseno legendum videtur sic: *Credam fore dum quidem in manu ipse habebo,* quod idem praebet B², nisi quod transpositum est ‚ipse in manu'. Recte autem Langium significationem ‚bis' deprehendisse puto Rud. 879, Epid. 633 (618), Most. 683, 687, Rud. 773, Poen. 786 (776).

Atque iam supra vidimus cognationem inter praesens et futurum intercedere artam; facillime vero fit ut praesens pro futuro ponatur in enuntiatis condicionalibus. Quod ea causa nititur, quod rei alicuius quae cogitatione modo fingatur ponaturque, ratio temporalis minus est dilucida. Illius generis cum omnia fere exempla congesserit Rothheimerus[1], tamen hoc mihi non satis recte fecisse videtur. Mihi quidem quaerenti quomodo fieret, ut in protasi pro futuro praesens admitteretur, duae maxime rationes occurre-

---

[1] De enuntiatis condicionalibus Plautinis. Gottingae 1876.

bant.[1] Unum genus invenitur dumtaxat in protasi negativa, si celeritatis significandae causa praesens adhibetur. Exaequat autem praesens particulam, ‚statim' fere futuro adiectam: Amph. 354: *Nisi actutum hinc abis, familiaris, accipiere faxo haud familiariter.* Aul. 644: *Atque id quoque iam fiet, nisi fatere.* Amph. 852: *Jube sis me exsolve cito; nam ni ego exsolvor, iam manufesto hominem opprimet.* Merc. 168: *Hercle vero vapulabis, nisi iam loquere aut hinc abis.* Curc. 720: *Tu autem in nervo iam iacebis, nisi mi argentum redditur.* Ibid. 723: *Ego te in nervom, non ad praetorem rapiam, ni argentum refers.* Persa. 142: *Atque nisi gnatam tecum huc quantum potest adducis, exigam hercle ego te ex hac decuria;* ibid. 234: *Ergo ero quoque, nisi scio quo agas te.* Rud. 1009: *Ego iam hic te itidem quasi peniculus novos exurgeri solet, ni hunc amittis, exurgebo, quidquid humoris tibist.* Most. 386: *Jam hercle ego vos pro matula habebo nisi mi matulam datis.* Curc. 575: *Nisi mi virgo redditur, iam ego te faciam, ut hic formicae frustillatim differant.*

Alterum genus hoc est, ut praesens in protasi ponatur ea de causa, ut minus in ratione temporali quam in condicione ipsa ponderis situm sit; quod quomodo sit explicandum, inde apparet, quod in praesenti minus rationem temporalem elucere vidimus, sed nudam quasi actionem temporali notione exsolutam. Bene comparari potest graeca illa locutio ἐφ' ᾧτε ,quae minus id exprimat quando res fiat, sed cuius maxima vis posita sit in condicione ipsa. Exempla autem Plautina haec sunt: Bacch. 1002: *Verum si das maxume, ne ille alium gerulum quaerat, si sapiet, sibi.* Curc. 139: *Tibi*

[1] Tertium genus a Blasio, qui scripsit de modorum temporumque apud Plautum permutatione (Argentorati 1886) pag. 18 allatum est.

ne ego, si fidem servas, vineam pro aurea statua statuam. Ibid. 141: *Qui me in terra aeque fortunatus erit, si illa ad me bitet?* Epid. 468: *Si sexaginta mihi dinumerantur minae, tua mulier faxo possidebit ferias.* Ibid. 606: *Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem.* Ibid. 724: *Nunquam hercle hodie, nisi supplicium mihi das, me solvi sinam.* Pseud. 1327: *Si is, aut dimidium aut plus etiam faxo hinc feres.* Trin. 662: *Nisi me auscultas, atque hoc quod dico facis, tute pone te latebis, facile ne inveniat honor.* Amph. 646: *Id modo si mercedis datur mihi ut meus victor vir belli clueat, satis mihi esse ducam.* As. 193: *Si mihi dantur duo talenta argenti numerata, in manum hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono dabo;* ibid. 281: *Sed si mecum occasionem opprimere hanc quae obvenit studet, maxumas opimitates gaudio effertissumas suis eris ille una mecum pariet.* Mil. glor. 1213: *Libertatem tibi ego et divitias dabo, si impetras.* Most. 614: *Quin feram, si quid datur.* Poen. 371: *Ego faxo, si non irata es, aes nimium pro te dabit, ac te faciet, ut sis civis Attica neque libera.* Ibid. 377: *Jam hercle ego faciam plorantem illam, nisi te facio propitiam;* ibid. 882: *Si quid tu adiuvas, eo facilius facere poterit.* Capt. 409: *Et mea opera, si hinc rebito, faciam ut faciat facilius.* Pseud. 587: *Hoc si expugno, facilem rem civibus faciam.* Stich. 646: *Jam hercle ego decumbam solus, si ille huc non venit.* Cf. Turpilii vers. 86: *Si impetro, satis fructi cepero.* Pertinent huc etiam illae sane ex usu cotidiano sumptae locutiones in quibus enuntiati primarii verbum iterum occurrat in enuntiato secundario; velut Stich. 715: *Age si quid agis.* Ceteros locos ab Ussingio ad Epid. 197 adnotatos invenies.

Omnes autem utriusque generis exempla ita sunt comparata, ut is qui loquitur ea quae continentur

verbo protaseos pro certo eventura esse credat vel exspectet.[1] Quae ratio minime quadrat in versum Mil. glor. 843: *Si falsa dicis serio, excruciabere;* minime enim exspectat Palaestrio ut Lucrio aliquid falsum dicat, sed paene sic loquens vetat. Summo igitur iure Camerarius et Ritschelius a codicum scriptura recesserunt; scripsit enim hic pro ‚dicis‘: ‚dices‘; ille autem ‚dixis‘. Atque haud scio an sit praeferenda Camerarii coniectura, quae, ut mihi quidem videtur, et facilius librariorum errorem explicet et ad sensum melius quadret.[2] Luebbertus enim ostendit contractas futuri exacti formas clarius indicare rem modo cogitatione fingi, minime autem pro vero haberi. Deinde reicio quod scripsit Ritschelius Mil. glor. 266: *Si invenio qui vidit, ad eum veniam pluteosque agam.* Ad quem locum primum est notandum in codicibus exaratum esse non praesens ‚invenio‘ sed in A quidem ‚vineam‘, in reliquis ‚vineas‘: ex quo sine dubio extricanda est vera lectio ‚veniam‘; accedit quod praesens excluditur ratione grammatica quam supra statuimus; neque enim aut celeritatis notio cognoscitur, aut singularis vis quae insit in condicione pro certo exspectanda: immo plane res in medio relinquitur utrum intercessura sit necne, cum Palaestrio vers. 268 contrariam condicionem fingat. His expositis non dubito scribere contra librorum auctoritatem vers. 268: *Si ita non reperiam, ibo odorans quasi canis venaticus.* Plane pari ratione atque Mil. glor. 843 utitur Pseud. 1173: *Contumeliam si dices, audies.* Quo loco cum nulla praesentis ratio appareat, ‚dices‘ a Ritschelio non erat in

[1] Si dicitur ‚si non‘ velut Poen. 371 et Stich. 646, negatio cum verbo artissime coniuncta unam efficit notionem. Itaque de ‚non veniendo‘ et de ‚non irascendo‘ agitur, quae pro certo eventura esse is qui loquitur opinatur.

[2] De qua re conferas Luebbertum vol. I, p. 81.

dubium vocandum. Accedunt duo exempla simillima quae quanquam Plautina non sunt, tamen hoc loco afferantur ad futurum in versu Pseud. 1173 confirmandum. Primum sane spurium est additamentum insertum vers. Poen. 631: *Si benedicetis, vostra vos ripa sequar.* Alterum exstat Caec. Stat. p. 24: *Reare, audibis male, si male dixis mihi,* ‚dicis‘ Vat.; ‚dixis‘ editio Gellii Gronoviana, ad quod ‚fortasse recte‘ adnotavit Ribbeckius. Neque potest esse dubium quin ‚dixis‘ sit vera lectio respectis iis quae exposui.

Atque cum Plautus tantummodo in his enuntiatorum condicionalium generibus praesens pro futuro admittat, Terentius et quem semper adiungimus Cicero praesens extra hos fines adhibent. Cf. locos hos: Heautont. 107: *Si id non facis, ego quod me in te sit facere dignum invenero;* ibid. 996: *Nam si nunc a nobis abis et Bacchidem hic relinquis, senex resciscet ilico esse amicam hanc Clitiphonis.* Cic. Ad. Fam. V, 12, 8: *Quod si a te non impetro, cogar fortasse facere, quod nonnulli saepe reprehendunt.*

Deinde a Rotheimero p. 29 loci sunt collecti ubi apodosis quanquam continet vim futuralem, praesens exhibeat. Secludendum autem mihi videtur ex hoc numero Stich. 68: *Quid agimus soror, si offirmavit pater advorsum nos?* ‚Offirmabit‘ scripsit Ritschelius, neque vero in perfecto difficultatem inesse puto. Perfectum enim si, ut par est, logicum interpretamur, idem est quod nos dicimus: *er hat sich auf seine Ansicht gesteift;* quod cum iam praeterito tempore coepisse possit, recte ponitur perfectum. Contra omisit Rotheimerus Poen. 671: *Rex sum, si ego illum hodie ad med hominem allexero.* Praesens in apodosi adhibitum speciem fiduciae prae se fert. Deinde per se quidem dubitari licet de Mil. glor. 249: *Sed si ambas*

videre in uno miles consilio volet, quid agimus? ‚agemus' Ritschelius scripsit; sed ipse[1] ‚agimus' defensione non carere dixit, ita ut nos lectionem traditam iure servare possimus.

Sunt quoque pauca exempla ubi in utroque enuntiato admissum est praesens: qua ratione adhibita quae futura sunt vi cogitationis in praesentiam transferuntur. As. 711: *A: Datisne argentum? L: Siquidem mihi statuam et aram statuis.* In protasi praesens rationem habet eam quam p. 50 exposuimus. Mil. glor. 239: *Tute unus si hoc recipere ad te dicis, confidentiast, nos inimicos profligare posse.* Ibid. 341: *Si eam facio ut exire hinc videas domo, dignun es verberibus multis.* Most. 539: *Manufesta res est, nisi quid occurro prius.* In promptu est quam commode praesenti Tranionem festinasse indicetur. Atque etiam his locis perspici licet, ea quae continentur enuntiato secundario, ab eo qui loquitur certo exspectari.

Restat ut de quibusdam locutionibus separatim agamus. His enim locis quos adhuc pertractavimus, enuntiatum secundarium spectabat ad certum tempus futurum: sunt autem quaedam enuntiata condicionalia atque relativa, in quibus protasis sine certi temporis significatione est valetque omnino. Qua in rerum condicione, si enuntiatum primarium spectat ad tempus futurum, scriptores qui exhibent severius genus dicendi quadam cum attractione utuntur etiam in enuntiato secundario futuro. Velut: ‚Faciam si voles', etsi voluntas iam in praesentia adest. Contra Plautus magna cum licentia utroque genere dicendi utitur. Ut pauca exempla afferam: Mil. glor. 572: *Etiam illud quod scies,*

[1] In praef. Stichi, p. XVII in adn.

nesciveris. Amph. 381: *M: Quis tibi erust. S: Quem tu voles.* As. 237: *Quin si tu voles, domi servi qui sunt, castrabo viros.* Contra apparet praesens: Rud. 576: *Id si vis, dabo.* Bacch. 239: *Extexam ego illum pulcre iam, si di volunt.* Ambo genera sunt coniuncta Men. 207: *Scin quod volo te accurare? E: Sed curabo quae voles.* Vide ‚volo' formam accommodatam esse ad illud quod praecedit ‚scin', ‚voles' autem, quod significat eandem rem quam ‚volo', ad ‚curabo' futurum. Atque usum hac in re omnino esse duplicem cognovimus; iam singillatim quaedam genera dicendi sunt perlustranda. Ac primum quidem assimilatione neglecta praesentis formam exhibent ‚sis' (= si vis) ‚sultis' (= si vultis), ‚sodes' (= si audes): Amph. 585: *Sequere, sis;* Capt. 456: *Servate istum, sultis, intus.* Bacch. 837: *Dic sodes mihi.* Cf. Cic. ad Att. VII, 3 11: *Jube sodes nummos curari.* Deinde accuratius perpendendus est usus vocum ‚vivendi', et ‚sapiendi'. Atque si occurrit ‚si vivo', recte hoc vertimus ‚so wahr ich lebe'. Cas. 28: *Quot te modis, si vivo, habebo in nuptiis miserum meis.* Bacch. 766: *Versabo ego illunc hodie, si vivo, probe.* Ibid. 1034; Most. 1067; Trin. 513 Contra si legitur ‚si vivam', accuratius vertamus sic ‚wenn ich dann noch am Leben sein werde'. Most. 4: *Ego pol te ruri, si vivam, ulciscar probe.* Persa. 786: *Quem pol ego ut hominem in cruciatum, in compedes cogam, si vivam.* Simile discrimen intercedit inter ‚si sapio', quod ad mores intellectumque omnino referendum est, et ‚si sapiam', quod idem fere valet atque ‚si in illa ipsa re de qua agitur, sapientia mea conprobabitur'. Illud quidem occurrit Amph. 311: *Proin tu istam cenam largire, si sapis, esurientibus.* Men. 121, Most. 515, hoc autem Bacch. 1002: *Non dabis si sapies.* Rud. 1391: *Si sapies tacebis.* Omnino autem ex his locis

discimus quam levia discrimina temporibus distincte adhibitis Plautus exprimere potuerit.

Multo rarius cum in enuntiatis relativis praesens pro futuro adhibeatur, tamen sunt quaedam genera dicendi in quibus satis constanter fiat haec substitutio. Neque alienum est ab usu scriptorun, qui utuntur sermone litteris exculto, quod legitur Bacch. 729: *Quod iubebo, scibite sic.* Men. 1105: *Sed nunc agite uterque id quod rogabo dicite,* nisi quod fortasse pro futuro I flagitaretur futurum exactum. Saepissime vero in talibus quidem locutionibus apud Plautum invenias praesens, etsi res pertinet ad tempus futurum. As. 578: *Hoc quod rogo responde.* Curc. 245; As. 388: *Pol haud periclumst cardines ne foribus effringantur, sic istoc extemplo omnibus qui quaerunt respondebis.* Bacch. 993: *At enim id quod te iubeo facias.* Men. 148; Most. 346; Truc. 962: *Ut rem gnatam video, hoc accipiendumst, quod datur.* Quo hic usus referendus sit, neminem fugiet; nam cum enuntiatum relativum paene idem valeat atque substantivum, non ita accurate de ratione temporali, quae est propria verbi, quam de re ipsa quaeritur (cf. p. 43). Paullo aliter res comparata videtur Mil. glor. 36: *Quid est quod dico?* Pseud. 479: *Quid quod rogo te?* Pseud. 1179; Trin. 930; Truc. 272. Praesens hic usurpatum est de iis rebus quae aliquis dicturus sit, sed cum in animo praesentes non habeat, nondum dicat sive roget. Causam igitur praesentis eam esse credo ut ea quae nondum dicuntur, tamen festinationis indicandae causa iam dici fingat is qui loquitur.

II.

Constat Homerum coniunctivum ita posse adhibere ut ei notio sit vindicanda futuri: A 262: οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας οὐδὲ ἴδωμαι. Atque similiter res se habet apud Plautum, etsi forsitan haec substitutio minus late pateat. Facile autem perspicitur unde haec cognatio, praeterquam quod formae futuri et coniunctivi ex parte sunt eaedem, ducenda sit. Ea enim est vis coniunctivi, si in universum iudicare volumus, ut aliquid significet quod cogitetur. Quodcunque autem est cogitatum, idem quodammodo semper versatur in futuro tempore. Neque igitur mirere si coniunctivus et futurum artius inter se coniuncta sunt vetustiore maxime aetate, quippe qua cum minus excultior valeret ratio cogitandi, vix discrimen futuri et coniunctivi percipi potuerit.

Iam locos eos afferam quibus mihi coniunctivus aut plane partes futuri in se recepisse videtur aut paene eius vim habeat: Amph. 1060: *Nec me miserior feminast neque ulla videatur magis.* Ad hunc locum recte explicandum varia viri docti moliti sunt. Ussingius quidem confugit ad hanc rationem: *potentialis quidam (videatur) coniunctivus est.* Goetzius et Loewius in Ritscheliana editione protulerunt haec: *‚videtur' E^3, cui recte coniunctivus offensioni fuit. Exspectes: ulla cruciatur magis!* Müllerus autem[1] tradita verba intellegi posse negat. Et ipse concedo, si coniunctivum potentialem statuamus, nullum me videre modum explicandi, nisi verba *‚neque ulla videatur magis'* ineptissime atque sine ulla vi adiecta esse praecedentibus censeas, cum sic non modo nihil novi contineant,

---

[1] Plautinische Prosodie (Berolini 1869) pag. 643.

sed etiam quae antea dicta sunt quodammodo debilitent incertiore genere dicendi adhibito. Res autem sic optime expeditur, ut in coniunctivo vim futuri latere statuamus. Quod si probatur, res exaggeratur hoc additamento, cum non solum ad praesens, sed etiam ad tempus futurum eam pertinere indicetur. Hoc autem genus dicendi, quo aliquid et praesenti et futuro tempore valere cum vi dicitur, non alienum esse a Plauto comprobatur his locis: Trin. 1125: *Neque fuit neque erit neque esse quemquam hominem in terrad arbitror...* Amph. 553: *Quia id quod neque est neque fuit neque futurumst mihi praedicas.* Ibid. 566: *Tune id dicere audes, quod nemo unquam homo antehac vidit neque potest fieri?* Merc. 446: *Numquam edepol fuit neque fiet ille senex insanior ex amore, quam ille adulescens.* His locis, praeterquam quod in omnibus coniunctio trium vel duorum temporum occurrit, satis variabile est genus dicendi, ita ut nulla sit offensio quod hic futurum, illic coniunctivus occurrit. Futurum autem si illo loco Amph. 1060 positum esset, sane esset futurum eius generis, quo aliquid affirmatur futurum esse. (Cf. Pseud. 1130: *Malum quod tibi di dabunt (sicherlich geben werden).* Bacch. 403: *Moneo, haud celabis (du wirst es sicherlich nicht verheimlichen);* cf. Lorenzium ad Most. 170. Ad idem genus futuri spectat coniunctivus Truc. 906: *Nunquam hoc unum hodie efficiatur, quin opus semper fiet.* As. 601: *Qui sese adparent parere huius legibus, profecto nunquam bonae frugi sient, dies noctesque potent.* Cf. exempla simillima ubi apparet futurum: As. 275: *Mea quidem hercle opera libertus nunquam fies.* Epid. 327: *Nunquam irridere nos illum multum sinam servom hominem.* Deinde satis memorabile exemplum coniunctivi

invenitur Trin. 496: *Ubi mortuus sis, ita sis ut nomen cluet.* Coniunctivum non esse usurpatum de altera persona indefinita contextus verborum ipse docet; neque, id quod plane abhorreret a consilio loquentis, ea vis inesse potest, ut coniunctivo pondus verborum minuatur atque restringatur. Similiter res se habet Capt. 208: *Apage, hau nos id deceat.* Id enim est consilium captivi ut summa vi reiciat, id quod vel voce ‚apage' indicat, sese in animo habere fugere. Quare cum absonum sit statui coniunctivum potentialem, res autem spectet ad futurum, ‚deceat' idem fere valet atque ‚decebit'. Paullo immutatur hic coniunctivi usus in enuntiatis interrogativis, cum eius munus hoc sit, ut quid futuro tempore expectandum sit quaeratur. Mihi quidem sic explicandus videtur coniunctivus Amph. 576 et ibid. 769: *Quid hoc sit hominis?* Fleckeisenus quidem[1] proposuit indicativum ‚est', ea videlicet causa adductus quod coniunctivus parum haberet rationis. Indicativum autem proposuit nixus et eo loco quem Donatus ad Ter. Eun. 237 adnotavit: *Quid hoc est hominis?* et versu Eun. 546: *Quid hoc hominis? qui hic ornatust?* Sed cum vix licitum mihi videatur esse Plauti usum dicendi, quippe qui sit tam multiplex, conformare ad alius scriptoris similitudinem, tum maxime hoc vetatur illis locis ipsis. Nam aliquid interesse inter condicionem locorum Plautinorum et Terentianorum intellexit iam Ussingius, qui ea de re ad Amph. 576 (572) disseruit nonnulla. Qui discrimen cum recte intellegeret, tamen in eo erravit, quod lectionem traditam repudiavit. Equidem recte omnia se habere censeo. Nam cum sic optime

———

[1] Nov. ann. tom 95 pag. 635.

sit vertendum: *was wird mit diesen Menschen werden,* apparet coniunctivum ea ratione quam supra indicavimus esse usurpatum.

Futuri autem voluntativi (cf. p. 44) notio occurrit Trin. 757: *Dum occasio eius rei reperiatur, interim ab amico alicunde mutuom argentum rogem.* ,Rogem' FZ et Acidalius, ,roges' ceteri cum A. Sed quamquam memoria librorum adduci videmur, ut scribamus ,roges', tamen ex consilio fabulae totius eliciendum est ,rogem' esse pro vera scriptura habendum.[1] Coniunctivus autem vix ulla alia ratione explicari potest, nisi ut ei notio futuri voluntativi attribuatur (cf. p. 44). Bacch. 1058: *Taceam nunc iam.* Trin. 1136: *Sed maneam etiam opinor.* (*,Doch ich will noch warten'*). Neque recte aliquis vertat sic: *,Doch ich könnte auch warten'*; quod si liceret, sane cum optio inter duas res intercederet, coniunctivus potentialis dubitationem aliquam recte indicaret. Neque vero unquam ,etiam' particula ita usurpatur, ut optionem indicet — quanquam nos quidem particula ,auch' sic utimur. (*Ich kann das thun, ich kann auch das thun*).[2] Atque si nos locos ubi coniunctivus vim fere futuri voluntativi assequitur, in unum conspectum comprehenderimus, neminem fugiet hac in re Plautinum genus dicendi propius accedere ad usum scriptorum graecorum. Nam cum in prima persona plurali hic usus et apud latinos (eamus) et graecos scriptores (ἴωμεν) sit tritissimus, apud graecos quidem scriptores etiam singularis prima persona coniunctivi pro futuro ita usurpatur, ut aliquis se iam

---

[1] Cf. quae Brixius de Megaronidis persona exposuit in praefatione Trinummi p. 29.

[2] Cf. de hac re Handii Turs. II, pag. 554, 17.

aliquid facturum velle indicet: Plat. resp. 457 C: Λέγε δή, ἴδω, ἔφη. Cui rationi plane respondet Plautina illis quidem locis. Contra dubito num eodem modo coniunctivus explicandus sit Rud. 580: *Eluas an exungare, ciccum non interduim.* Trin. 994: *Ceterum qui sis qui non sis, ciccum non interduim.* Recte quidem aliquis miretur, cur in hoc genere dicendi minus polito adhibeatur ille modus qui mitiget vim orationis coniunctivus potentialis. Sed hanc mihi videor causam veram proferre posse, quod ad coniunctivum ponendum valuit quae saepius in genere Plautino dicendi apparet vis assimilationis.

Iam ut ad enuntiata secundaria transeamus, id maxime est cavendum ne coniunctivi tales qui structura enuntiatorumque coniunctione efficiantur, pro iis habeantur qui vices agant indicativi futuri. Sed sunt certae rationes ex quibus certum hac in re iudicium consequi possit. Nam omnino id contendi potest coniunctivum, etsi saepe assimilatione nascatur, tamen maxime in iis enuntiatis, quae habeant sensum futuralem inveniri. Ordiamur ab enuntiatis temporalibus. Atque Langius quidem locis congestis demonstravit (a p. 37), enuntiatum temporale ad futurum tempus spectans si penderet ex enuntiato secundario quod haberet coniunctivum, saepe et ipsum coniunctivum exhibere; atque semper quidem, si intercederet inter partes enuntiati secundarii, saepe autem, si sequeretur. Nobis restat ut nonnullis exemplis accuratius demonstremus hanc assimilationem proficisci ex cognatione quae futuro intercedit cum côniunctivo. Hoc ea re demonstratur, quod in enuntiatis temporalibus ad praeteritum tempus spectantibus assimimilatio non fit, etsi eaedem condiciones adsint quae a Langio sunt indicatae. Nam si maxime coniunctivus repe-

riatur, aut est irrealis aut optativus aut orationis obliquae. Cf. inter se haec exempla Rud. 1124: *Vidi petere milvom, etiam cum nihil auferret tamen,* et Rud. 1249: *Spectavi ego pridem comicos ad istum modum sapienter dicta dicere atque iis plaudier, quom illos sapientes mores monstrabant poplo.* Altero quidem loco coniuntivus est orationis obliquae; poterat enim poeta dicere non minus recte: *vidi petere, nihil tamen auferre;* at vers. 1249 enuntiatum temporale cum nihil nisi tempus rei accuratius circumscribat, non ad orationem indirectam pertinet. Neque aliter res se habet, ubi de re praesenti agitur. Hac in re maximi momenti tria sunt exempla. Mil. glor. 595: *Ibo intro ne dum absum illis sortitus fuat.*[1] Quanquam ‚dum absum' intercedit inter membra eius enuntiati, cuius verbum coniunctivi formam induerit, tamen coniunctivus non ponitur in enuntiato temporali, quippe quod non futurum, sed praesens exhibeat. Mil. glor. 1326: *Nam nil miror si lubenter Philocomasion hic eras, quom ego servos, quando aspicio hunc, lacrumem, quia diiungimur.* Videtur, si Langii legem memoria tenemus, hoc loco coniunctivus necessario flagitari, neque vero recte; cum enim in enuntiato temporali insit repetitio (*so oft ich dich ansehe*), res spectat ad tempus praesens. Tertium occurrit exemplum Mil. glor. 811: *Ego enim dicam quando usus poscet. Interea tace, ut nunc, quom etiam hic agit, actutum partis defendas tuas.* Sic B; ‚cum' pro ‚nunc' alii libri. Atque cum multum operae collocaverint viri docti in vera lectione indaganda, mihi locus sanus videtur,

[1] Sic quidem Ritscheliue scripsit, cum post ‚absum' quae sunt in libris tradita, ambigua sint.

siquidem libri B scripturam genuinam statuimus: quod mihi plane probatur. Periplectomenes enim mandato accepto postquam abiit, iam partes suas agere coepit, ita ut Palaestrio iure dicere possit praesenti adhibito: *jetzt, wo auch dieser tätig ist.* Quare cum res non pertineat ad futurum, sed ad praesens, intellegitur cur modus enuntiati temporalis non conformetur ad coniunctivum ‚defendas'. Itaque non modo falso Ritschelius scripsit ‚ages', quod repugnat vel Langii legi, sed etiam Langii ipsius coniectura ‚agas' reicienda.[1] Atque ut in his exemplis indicativus est legitimus, sic retinendus coniunctivus erat Goetzio et Loewio Poen. 552: *Hoc te satius est docere, ut, quando agas, quid agas sciant.*

Neque quidquam offensionis habet is coniunctivus qui legitur Trin. 496: *Ubit mortuus sis, ita sis ut nomen cluet* (cf. pag. 59). Nam etsi hoc exemplum a Langii lege exemptum est — praecedit enim enuntiatum temporale ei quod habet coniunctivum — tamen ex eo coniunctivi causa repetenda est, quod est pro indicativo futuri admissus.

Etiam in enuntiatis relativis coniunctivus interdum nullo alio munere fungi videtur quam ut aliquid cadere in tempus futurum indicet. Quam quidem proxime inter se distent coniunctivus et futurum, manifestum est comparatis inter se his locis: As. 29: *Dic obsecro hercle serio, quod te rogem,* et Men. 1105: *Uterque id quod rogabo dicite.* Utrobique continetur enuntiato relativo quod aliquis facturus sit (cf. pag. 60). In primis vero memorandum est enuntiata relativa ea quae non certam aliquam rem, sed indefinitam vel repetitionem designent, contra usum classicorum scriptorum interdum

[1] Sed vide quid Langenus de tota hac scena iudicaverit (Plautinische Studien) p. 321 sq.

exhibere coniunctivum, si modo res pertinet ad futurum. Capt. 548: *Ne tu quod istic fabuletur, aures inmittas tuas.* Aul. 491: *Quo lubeat, nubant dum dos ne fiat comes.* As. 44: *Di tibi dent, quaecumque optes.* Mil. glor. 1038; Pseud. 936: *Tantum boni tibi di immortales dent, quantum tu tibi optes.* Stich. 60: *Pati nos oportet quod ille faciat, quoius potestas plus potest.* Trin. 436: *Dii duint tibi, Philto, quaequomque optes.* Et ne in his quidem exemplis puto solam vim assimilationis, de qua vers. As. 29 cogitari omnino non potest, coniunctivum effecisse. Si enim futuralis vis abest, indicativus invenitur. Men. 557: *Ibo et conveniam servom, si potero, mecum, ut haec, quae bona dant di mihi, ex me iam sciat.* Pers. 294: *Eveniant tibi quae optas (= optavisti).* Pseud. 638: *Erus si tuus domist quin provocas, ut id agam quod missus huc sum, quidquid est nomen tibi?* Men. 118: *Rem necesse eloquist, quidquid egi atque ago.* Rud. 1229: *Habeas quod di dant boni (= dederunt).* Qua in re cum huiusmodi est modorum discrimen, Cist. II, 1, 21: *A. Di me perdant. B. Quodcumque optes tibi velim contingere.*, non modo ad ea, quae praecedunt ‚di me perdant' verba Melaenidis referri debent, sed etiam ad ea quaecunque Alcesimarchus optabit.

Restat ut de enuntiatis condicionalibus nonnulla dicam. Hac in re maximi momenti mihi videntur esse ea enuntiata quae sunt alterius generis quod vulgo dicitur. Haec autem sententia proferri solet a grammaticis, in eius modi enuntiatis condicionalibus condicionem re vera non esse, sed posse fieri. Quod quanquam falsum non est, tamen ad Plauti usum dicendi non prorsus mihi quadrare videtur. Occurrunt enim saepe apud illum alterius generis

enuntiata condicionalia in quibus vix ullum aliud munus coniunctivus habere possit, quam ut pro futuro usurpetur.[1] Subest autem semper quaedam condicionis ad futurum tempus pertinentis exspectatio vel fides. Sine dubio recte comparari possunt ea graeca enuntiata condicionalia quae habeant ἐάν cum coniunctivo coniunctum. Sed examinemus Plautinos locos ipsos. Men. 503: *Aequom si facias, mihi odiosus ne sies.* Ibid. 602: *Si sapiam, hinc intro abeam ubi mihi bene sit. P. Mane, male erit potius.* Ibid. 983: *Ego ita ero, ut me esse oportet; id si adhibeam, culpam abstineam, ero meo ut omnibus in locis sim praesto, metuam haud multum.* Mil. glor. 293: *Verum enim tu istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam.* Ritschelius adnotavit ad hunc locum: *‚amant' vitiose Gronoviana; ‚tolles' Guyetus:* ex quo intellegas hoc illum sensisse usu vulgari flagitari futurum. Most. 370: *Quid mihi sit boni, si mentiar?* Rud. 969: *Non ferat, si dominus veniat.*

Ad hunc locum etiam pertinent ea apud Plautum creberrima enuntiata condicionalia quae quanquam alterius sunt generis, tamen notionem irrealem exhibere videantur: Cas. 189: *Liber si sim, meo periclo vivam, nunc vivo tuo.* Capt. 596: *At pol, te si hic sapiat senex, pix atra agitet apud carnuficem tuoque capiti inluceat.* Ibid. 632: *Meam rem non cures, si recte facias.* Bacch. 1039: *Verum ut ego opinor, si ego in istoc sim loco, dem potius aurum quam illum corrumpi sinam.* Trin. 217: *Quod si exquiratur usque ab stirpe auctoritas, unde quidque auditum dicant; nisi id appareat, famigeratori res sit damno et malo: hoc si ita fiat, publico fiat bono, pauci sint*

[1] Cf. Luebbertun, vol. II, pag. 135.

faxim qui sciant quod nesciunt, occlusioremque habeant stultiloquentiam. Truc. 61: *Quos quom celamus, si faximus conscios, una anteparta demus postpartoribus et minus damnosorum hominum quam nunc sunt siet.* Rud. 978: *Nam si et istuc ius sit quod memoras, piscatores perierint.* Ibid. 1419: *Sequimini intro, spectatores, vos quoque ad cenam vocem, ni daturus nil sim neque sit quicquam pollucti domi, nive adeo vocatos credam vos esse ad cenam foras. Verum si voletis plausum fabulae huic clarum dare, commissatum omnes venitote, ad me ad annos sedecim.* As. 393: *Si sit domi, dicam tibi.* His locis cum ea quae dicuntur repugnent veritati, nos iure subesse notionem irrealem contendere possumus. Quare miretur quispiam quod non adhibitus sit coniunctivus vel imperfecti vel plusquamperfecti. Fortasse recte iudicabit is qui quandam notionem futuralem coniunctivo inesse censeat; quae enim in praesentia obsunt veritati, saepe futuro tempore fient. Neque ita usurpatus est coniunctivus, ut rem fictam atque in cogitationibus modo versantem exprimat, sed agitur de re ea quam aliquis futuro tempore eventuram esse pro certo opinetur vel quadam cum vi et consilio pro certa fingat. Aliter de hac re iudicavit Blasius (p. 25); sed assentiri ei non possum.

Sunt etiam exempla, ubi coniunctivus futuri notione instructus modo inveniatur in protasi. Bacch. 1172: *Ni abeas, tibi, quanquam tu bella's, magnum malum dabo iam.* Ibid. 1045: *Si plus perdundum sit, periisse suavius, quam illud flagitium volgo dispalescere.* Amph. 891: *Faciundumst mihi illud, fieri quod illaec postulat, si me illam amantem ad sese studeam recipere.* Langenus p. 48 dubitat num sit hic versus genuinus: quae res quoquomodo se habet, tamen

ea illius iudicii causa a Langeno proferri non debuit, quod coniunctivus esset admissus; respondet enim Plautinae consuetudini. Cas. 231: *Sic tandem si tu Iuppiter sis mortuos, quom ad deos minores redierit regnum tuom, quis mihi subveniet tergo aut capiti aut cruribus?* Mil. glor. 572: *Ne tu hercle si te di ament, linguam comprimes.* Most. 56: *Ita te forabunt patibulatum per vias stimuleis ⟨terebris⟩: huc si reveniat senes.* Cf. Caec. Stat. 113: *Audibis praeterea si eius redeat filia.*

Pervenio nunc ad id genus enuntiatorum condicionalium, quod cum perinde atque illud quod adhuc pertractavimus in protasi coniunctivum, in apodosi indicativum habeat, tamen clare ab eo discernitur. Quae enim attuli adhuc, recte genuina enuntiata condicionalia appellari possunt; quippe quae ea sunt indole, ut protasis contineat apodoseos causam. Sed multa sunt eiusdem speciei enuntiata condicionalia ad quae haec non pertinet ratio.[1] Apodosis enim valet ita ut non pendeat ex condicione ulla; protasis autem eo consilio cum apodosi coniungitur, ut apodosin cum omnino tum maxime valere incidente protasi demonstretur. Amph. 336: *Non epdeol, nunc ubi terrarum sim scio, si quis roget.* Capt. 906: *Nam alia si memorem quae ad ventris virtutem conducunt, morast.* Aul. 320: *Sexcenta sunt quae memorem, si sit otium.* Epid. 730: *Invitus do hanc veniam tibi, nisi cogar.* Stich. 419: *E re si ego taceam seu loquar, scio scire te, quam multas tecum miserias mulcaverim.* Ibid. 171: *Nunc si ridiculum quaerat hominem quispiam, venalis ego sum cum ornamentis omnibus.*

---

[1] Cf. de hac re Lilie, conjunctivischer Bedingungssatz bei indicativischem Hauptsatz. Pr. d. Humboldt-Gymnas. Berl. 1884.

Trin. 897: *Ita ut accepi, si animum advortas, dicam.* Rud. 1020: *Numqui minus, si veniat nunc dominus quoiust, ego qui inspectavi procul te hunc habere, fur sum minus quam tu?* Cf. Ter. Andr. 637: *Si roges, nihil pudent hic.*

Continet igitur protasis aliquid quod esse futurum exspectatur. Atque quam proxime inter se absint futurum et coniunctivus, ex ea re intellegi potest, quod locis simillimis indicativus futuri exhibeatur. As. 109: *Si quid te volam, ubi eris?* Ad quem versum sic adnotavit Nonius p. 478, 26: *volam pro velim.* Capt. 209: *Immo edepol si erit occasio, haud dehortor.* Mil. glor. 79: *Mihi ad enarrandum hoc est comitas, si ad auscultandum vostra erit benignitas.* Praesens autem, id quod fieri posse vidimus, pro futuro invenitur: Poen. 79: *Revortor rursus denuo Carthaginem, si quid mandare voltis aut curarier.* Ibid. 915: *Proba materies datast, si probum adhibes fabrum.* Recte Blasius futurum a Pylade coniectum reiecit restituitque praesens, eo argumento nisus quod p. 18 attulit, in vers. Mil. glor. 480: *Erus si veniet si me quaeris, hic ero.* Atque cum his locis enuntiatum primarium non proprie apodosis enuntiati secundarii appellari possit, tamen quae vera sit apodosis facile invenitur. Sicut, ut uno exemplo nos contineamus, versu Poen. 79 verba sic sunt supplenda: *Revortor rursus denuo Carthaginem, atque si quid mandare voltis, curabo.* Est igitur quaedam brevitas dicendi agnoscenda, quae sit sermonis cotidiani.

Quin etiam haec ratio, quae maxime aliena est a genuinis enuntiatorum condicionalibus, usu venit ut enuntiata particula ,si' insignita pro concessivis sint habenda. Atque etiam tum a Plauto saepius coniunctivus eandem fere vim habet atque indicativus

futuri. Aul. 311: *Famem hercle utendam, si roges, nunquam dabit.* Ibid. 254: *Neque si capiam copiast;* As. 104: *Solus si ductem, referre gratiam nunquam potes.* Bacch. 1004: *Nam ego non laturus sum, si iubeas maxime.* Most. 351: *Nec salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest.* ,Si' igitur in his exemplis plane abiit in usum particulae ,etsi'.

Contra Blasius cum omnino quaereret de iis condicionalibus enuntiatis, quae exhiberent in protasi coniunctivum, in apodosi indicativum, rem ita instituit (a. p. 35) ut non quo iure positus esset coniunctivus, sed indicativus futuri vel praesentis, explicare studeret. At nos id cognovimus indicativum explicatione non indigere, cum plane absolute usurpetur; coniunctivum autem ita esse interpretandum, ut exprimat exspectari, dum condicio futuro tempore fiat.

Quoniam vidimus tam artam esse cognationem inter coniunctivum et futurum, eo minus est mirandum, quod saepe coniunctivus praesentis vel perfecti in locum coniugationis periphrasticae succedit. Mil. glor. 299: *Quid fuat me, nescio,* Ibid. 303: *Eadem illi insidias dabo, quam mox horsum ad stabulum iuvenix recipiat se a pabulo.* Persa 33: *Haec dies summa hodiest, mea mi amica sitne libera an servitutem sempiternam serviat.* Ibid. 234: *Ergo ero quoque, nisi scio quo agas te?* Most. 58: *Qui scis an tibi istuc prius eveniat quam mihi.* Bacch. 104: *Quo eveniat, dis in manust.* Merc. 592: *Redeat an non nescio.*

Adhuc nobis erat propositum, ut qua ratione ad vim meram futuralem coniunctivus prope accederet exponeremus. Nunc ea de re est videndum quam proxime interdum futurum ad coniunctivi naturam accesserit. Atque primum quidem pro coniunctivo po-

tentiali, quo quidem aliquid modestius exprimatur, invenitur Bacch. 188: *Rogabis me, ubi sit: vivit.* Epid. 26: *Quem dices* (λέγοις ἄν) *digniorem esse hominem hoc hodie Athenis alterum?* Mil. glor. 657: *At quidem illud aetatis qui sit, non invenies alterum lepidiorem ad omnes res.*

Deinde saepius futurum partes suscipit coniunctivi deliberativi: Rud. 658: *Iterum autem imperabo?* Mil. glor. 973: *Quid illa faciemus concubina quae domist?* Ibid. 1021: *Quid ego hic astabo tantisper cum hac forma et factis sic frustra?* Pseud. 847: *Istacine causa tibi hodie nummum dabo?* Men. 198: *Ego saltabo?* Capt. 535: *Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor?* Ii loci ubi pro hoc futuri genere admissum sit praesens, p. 41-42 invenias. Interdum etiam fit ut futurum minus id quod fieri oporteat, quam quod concedatur exprimat. Hunc in modum usurpatum videtur Pseud. 1318: *Me dices avidum esse hominem;* ‚dicis' CDFZ; ‚dices' B flagitante metro. Saepius autem sic usurpatum occurrit futurum ‚scies', cui praecedere solet quaestio: As. 350; Capt. 338; Cas. 27 aliisque locis.

Ad totum hoc genus futuri cf. Ter. Andr. 612: *Negabone?* ibid. 453: *Quam vocabo?* Cic. ad fam. XIV, 4: *Quid aget meus Cicero?* XV, 4, 13: *Quaeres fortasse.*

Denique locus neglegendus non est qui exstat Pseud. 965: *Set eccum qui ex incerto faciet mihi quod quaero certius.* Nam cum scriptorum classicorum more sine dubio ponendum fuisset coniunctivus, quippe qui qualitatem indicaret, hoc loco eodem munere fungitur praesens; respondet autem *qui faciet* plane illi graecae locutioni ὅστις ποιήσει.

CAP. IV.

De Futuro exacto.

Restant nonnullae futuri II proprietates, de quibus seorsim agendum erit. Atque cum vel doctissimi viri, e quibus nomino Madvigium Hermannum Luebbertum, qualis esset futuri exacti apud priscos scriptores usus anquisiverint, tamen operam non plane mihi videor perditurus, si hanc rem breviter retractabo. Nam prolaturus nonnulla sum, quae aut plane ab illis sunt omissa, aut mihi non satis ad liquidum perducta videntur; deinde id maxime ago, ut quam clarissime quomodo variae futuri II notiones ex una primaria sint derivandae appareat: quod quam sit necesse infra docebimus.

Omissis futuri exacti formis contractis, de quibus copiose disseruit Luebbertus, ad alias proprietates transeamus. Atque praemonendum videtur futurum exactum apud Plautum aut absolute aut relative usurpari posse. Illo modo si adhibetur, eundem actionis statum indicat atque perfectum logicum: nisi quod hoc ad tempus praesens, illud ad futurum pertinet. Men. 215: *Quando vis, veni; parata res erit.* Most. 235: *Iam ista quidem absumpta res erit.* Persa. 135: *Immo alium allegavero.* Cuius futuri si plenam vim exprimere volumus, sic est vertendum: *ich werde einen anstiften und ihn mir in Zukunft halten, damit er....*

Huc pertinent ii loci quibus futuro exacto eventus futurus rei iam factae indicetur. Accedit ad exempla a Luebberto p. 85 allata (Most. 1113 et Men. 521) tertium Aul. 578: *Ego faxo et operam et vinum*

perdiderit simul. Deinde quae praeterea ad futuri exacti usum absolutum pertinent invenies apud Madvigium (op. acad. II a p. 83) exposita.

Iam pauca nobis dicenda sunt de futuri II usu relativo: qui si est statuendus, futuro II aliquid indicatur quod ante aliam actionem futuro tempore sit absolutum. Atque haec est proprietas comicorum, ut saepissime hoc futuri genus usurpent in enuntiatis primariis: quod multo rarius fit apud scriptores classicos. Causa autem inde est petenda, quod apud Plautum sententiarum conexus saepe intercedit medius quasi inter parataxim et hypotaxim. Itaque enuntiata in quibus exhibetur futurum exactum, ad alia quae exhibent futurum I eam habent relationem, ut in illis praecederet particula subiunctiva in eorum scriptorum genere dicendi, apud quos valet coniunctio enuntiatorum artior. Sed exempla ipsa examinemus: Amph. 1000: *Atque illuc sursum escendero: inde optime aspellam (= postquam ascendero, aspellam).* Epid. 515: *Abiero: flagitio cum maiore post reddes tamen.* Trin. 1007: *Lubet observare quid agat: huc concessero.* Ibid. 625: *Huc aliquantum abscessero: est lubido orationem audire duorum affinium (= est lubido audire postquam abscessero).* Mil. glor. 448: *Quiesce, inquam, istanc rem ego recte videro (= quiesce, dum videro).* Most. 1173: *Tu quiesce hanc rem modo petere: ego illum ut sit quietus, verberibus subegero.* Aul. 665: *Senex eccum autem ecfert foras: tantisper huc ego ad ianuam concessero (= dum ecfert, concedam).* Futuro II igitur indicatur actio, quae plane in idem temporis spatium incidat atque altera: quae ratio temporalis ut plene exprimatur, si parataxim adhibere velis, necesse est futurum exactum poni; adhibita hypotaxi sufficeret futurum primum. Most. 686:

Euge optume eccum ⟨huc⟩ aedium dominus foras Simo progreditur ipsus: huc concessero. Mil. glor. 200: *Quaere: ego hinc abscessero interim abs te huc (= dum quaeris abscedam).* Pseud. 571: *Concedere aliquantisper hinc mi intro lubet, dum concenturio in corde sucophantias: tibicen vos interea delectaverit.* Trin. 744: *Nunc si opperiri vis adventum Charmidi, perlongumst: huic ducendi interea abscesserit lubido.* Atque his quidem locis accedit ad futurum exactum particula ‚interea', qua accuratius ratio temporalis futuro II indicata describatur: ex quo intellegitur futurum II nulla alia de causa adhiberi, quam ut ratio temporalis plene significetur. Longius vero prolatis finibus futurum exactum adhibetur a Plauto ea ratione, ut etsi actio ipsa ante quam aliquid factum erit non exprimatur, at certe illius loco temporis futuri momentum cogitari possit. Quod si fit, saepe existit notio celeritatis, interdum quoque animi prompti atque adeo procacis. Hanc autem notionem sic optime vertendo illustrabimus, ut vocem ‚schon' adiciamus. Cas. 193: *Ego pol istam iam aliquo vorsum tragulam decidero.* Most. 526: *Nil me curassis, inquam: ego mi providero.* Men. 427: *Ecastor haut invita fecero.* Ibid. 545: *Da sodes aps te: post ego reddidero tibi.* Mil. glor. 863: *Missus sum alio: iam huc revenero.* Persa 50: *S: At pol ego abs te concessero. T: Jamne abis?* Pseud. 350: *Nam hunc fames iam occiderit.* Merc. 140: *At tu edepol tu calidam picem bibito: aegritudo abscesserit.* Truc. 547: *Quo vocatus sum ire ad cenam: mox huc cubitum venero?* Quo loco id est notandum futurum exactum perinde atque saepissime futurum I accepisse notionem deliberativam. Most. 926: *Vel mi denumerato: ego illi denumeravero.*

Sed hanc notionem futuri exacti facile plane obrui nemo non percipit. Itaque fit ut futurum II prorsus substituatur pro futuro I, velut vix ullam differentiam percipimus Capt. 341: *Immo alium potius misero.* Ibid. 495: *Sic egero.* Mil. glor. 328: *At ego illi observasso foris.* Pseud. 1042: *Quo iam esse te vis maxime ad eum duxero.* Revera autem futuri exacti notionem hunc cursum tenuisse, ex eo efficitur, quod apud posteriores maximeque apud Terentium hoc tantum genus liberius usurpatum invenitur. Cf. Terent. Heautont. 86: *Iuvero.* Ibid. 108: *Invenero;* ibid. 676: *Egero.* Quint. Att. frg. 4/5: *Oclusero.* Cic. ad. Quint. fr. II, 15a, 2: *Videro.*

Restat ut de illo usu disseramus, ut pro futuro exacto perfectum substituatur in enuntiatis primariis quidem; neque enim usquam occurrit tale quid in enuntiatis secundariis. In hoc autem genere dicendi minus accurate habita ratione temporis quadam cum vi res futura fingitur tanquam praesens. Quod rhetoricum, ut ita dicam, genus solummodo admittitur in verbis pereundi perdendi similibusque. Amph. 428: *Victus sum, si dixeris.* Ibid. 328: *Perii, si me aspexerit.* Mil. glor. 163: *Disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis.* Pers. 738: *Nisi ego illunc hominem perdo, perii.* As. 918: *Nam ni impetro, regem perdidi.* Stich. 401: *Nam ni illos homines expello, ego occidi planissume.* Mil. glor. 306: *Nunc si indicium facio, interii; si taceo, interii tamen.* Trin. 595: *Set si alienatur, actumst de collo meo.* Forte miretur aliquis cur his duobus quos extremos posui locis in protasi adhibeatur praesens; neque enim ullam adesse rationem praesentis ex iis quidem quae p. 52 exposui colligendum videtur, cum minime ea quae contineatur protasi pro certo eventura

putentur. Sed paullo aliter hic res quam illic se habet; nam illic in apodosi exhibetur futurum; hic autem in utroque enuntiato tempora ad praesentiam loquentis pertinentia. Neque igitur cum prorsus praesens res quadam cum vi dicendi cogitetur, mirum est cur in protasi positum sit praesens. Sunt autem omnia quae attuli enuntiata condicionalia.

Sunt etiam quaedam quae de futuri exacti in enuntiatis secundariis usu adici possint. Nam saepe etsi actio secundaria futuro tempore prius absoluta est quam actio primaria incidat, tamen futuro exacto neglecto futurum I vel, quoad eius fieri possit, eius loco praesens usurpatur. Futurum I autem exstat his locis: Mil. glor. 246: *Idem ego dicam, si ex me exquiret miles.* Ibid. 843: *Si falsa dices serio, excruciabere.* Pseud. 163: *Haec cum ego a foro revortar, facile offendam parata.* Ibid. 949: *Contumeliam si dices audies.* Stich 63: *Quom ego revortar, vos monumentis commonefaciam bubulis.* Atque cum supra quaereremus omnino de futurorum usu in enuntiatis secundariis, nullum discrimen fecimus, utrum pro futuro I an II praesens substitutum esset. Sed spectant exempla illic allata partim ad futurum I, partim ad II. Atque ad hoc spectant: Epid. 468: *Si sexaginta mihi dinumerantur minae, tuas possidebit mulier faxo ferias.* As. 193: *Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum, hanc tibi noctem honoris causa gratiis dabo dono.* Sunt autem praeter haec multa alia quae enumerare operae pretium non sit: vel ex iis quae attuli rationem perspicies. Nam cum iam supra cognovimus futuro I magis quam praesenti rationem temporalem urgeri, tum maxime hoc fit futuro II, in quo accedit haec notio ut aliqua actio ante aliam futuro tempore

absoluta sit. Itaque si pro futuro II futurum I atque adeo praesens admittitur, magis actio ipsa respicitur num fiat, quam quae sit ratio temporalis accuratior.

Iam priusquam ad finem perveniam, unum adiciendum mihi videtur. Meifartus enim id omnino[1] demonstrare studuit, nullam fere differentiam intercedere inter futuri II et futuri I in enuntiatis primariis usum. Quod cum iis refellatur quae supra exposui, tum ita si quis iudicarit, nemo non intelleget quantum dicendi varietatis, quantum subtilitatis, quantum denique gratiae ille Plauto sit adempturus.

---

1 De futuri exacti usu Plautino (Ienae 1885) p. 23.

Hoc loco facere non possum, quin profitear semper mihi uti licuisse ad hunc libellum conficiendum opera et consiliis praeceptorum illustrissimorum et Reifferscheidii, quem nunc morte absumptum esse vehementer lugeo, et Kaibelii. His semper pro ea qua mea studia regebant benevolentia gratiam habebo quam maximam.